

And. 561

Calixtus, P. H.

nebst

21-77)

MF (1, 6-11)



Friedrich Melvich Collext

(1690.)



AS
P A T I E N T I A
V I C T R I X
I N J U D I C I O S A N C T O R U M
I N F I N E M U N D I

Ad 1. ad Corinth. Cap. VI, v. 2, 3.

CONSTITUTO,

PRÆSIDE

PHILIPPO MÜLLEROD.

CONSIL. ECCLES. DUC. SAX. PRÆPOS. ET

PRÆLAT. AD B. MAR. MAGDEBURG.

SS. THEOL. P. P.

AD CHRISTIANAM COLLA-
TIONEM

IN ACADEMIA JENENSI

D. MARTII ANNI M DC LXXXIIX.

HOR. ANTEMERIDIANIS

DEO BENIGNE JUVANTE

DEDUCTA

^A
JOH. IMMANUELE Sangueth/
GOTHANO.

JENÆ,

Typis GEORG. HEINR. MÜLLERI.

PATENTIA

Philipp Maeller

1640-1713

IN JUDICIO SACRATORUM

IN RINE MUNDI

IN RINE MUNDI

CONSTITUTO

PHILIPPO

PHILIPPO MILLEROD

CONSTITUTO

PHILIPPO MILLEROD

AD GRATIAM COLLATA

PHILIPPO MILLEROD

PHILIPPO MILLEROD

PHILIPPO MILLEROD

PHILIPPO MILLEROD

PHILIPPO MILLEROD

[1688]

JOH. IMMANUEL GOTTIANO

GOTTIANO

PHILIPPO MILLEROD





PATIENTIA VICTRIX
IN JUDICIO SANCTORUM
INFINE MUNDI,

IN I. AD CORINTH. VI, 2, 3.

SERIES ARGUMENTI.

Judicii ejus I. POSTULATIO *spe Meliorum* §. 1. indigna passis oportuna §. 2. necessaria §. 3. promissa §. 4. Propositi In Paulino §. 5. II. CERTITUDO, *cujus connexio* §. 6. affirmata in Sacris §. 7. Dd. §. 8. Ratione humana §. 9. explorata per Genus §. 10. 11. & conceptum specificum §. 12. Loca Esa. c. 3, 14, 15. §. 13. Dan. c. 7, 9, 10. §. 14. Joel. c. 3, 12. §. 15. Matth. 19, 28. §. 16. Matth. 25, 34. §. 17. Matth. 12, 42. §. 18. Luc. 11, 19. §. 19. 1. ad Thessal. 3, 13. §. 20. Jud. Epist. §. 14. §. 21. 2. ad Timoth. 2, 12. §. 22. Apoc. 2, 26, 27, 28. §. 23. cap. 6, 9, 10, 11. c. 12, 17, 18. c. 15, 3, 4. c. 18, 20. §. 24. Paulini *vis* §. 25. Textum inopia repulsa §. 56. III. CONSTITUTIO, Partium §. 27. (1) Personæ, (2) Judicis qui Sanctus §. 28. an proprie is judicet §. 29. & an quislibet SS. §. 30. qualis sit status §. 31. Angeli beati, an Judices §. 32. Sanctitas ea, quid. §. 33. Non-sancti, quinam §. 34. Sancti Millenarii quales §. 35. (b) Partis, Rci. Mundus §. 36. Angeli §. 37. Bominne judicentur §. 28. an judicent §. 39. Actor, quis §. 40. (2) Causa §. 41. Principium quo s. Norma §. 42. Locus 43. Tempus §. 44. IV. PROCESSUS I. Species §. 45. 2. Partes, (1.) Citatio §. 46. (2.) Comparitio §. 47. (3.) Propositio §. 48. Defensio §. 44. (4.) Cognitio §. 50. 3. Finis, (1) Proximus, Sententia §. 51. ejus Publicatio §. 52. Executio §. 53. 54. (2.) Remotus §. 54. V. USUS Doctrina §. 56 §. 57. §. 58. §. 59. §. 60.

A CA-

DE JUDICII SS. IN F. M.
POSTULATIONE.

XIX §. I.

Dena solatii *ζωοφόνος* vox est Salvatoris
Luc. XXI, 28. *His*, nempe signis mundi desituri,
prorumpere visis, suspicite & attollite capita vestra; pro-
pinquat enim liberatio vestra. Fertur ad *Pios*, ejus
 studio malè habitos *v. 12, 16, 17.* ad ultimam igno-
 miniam & miseriam vitæ: qualis *Thren. III, 22, 32.*

in Actis & Epistolis Apostolicis, Historiâ Ecclesiæ secutæ, mul-
 tifariam describitur; ac in hunc diem infestat veros Domini cul-
 tores. Eapse sortis utriusque comparatio clarè interpretatur,
 suum homini officium, ut meminerit, sese ad laborem, pericula,
 miseras vocatum, experimento fidei rectæ ac immotæ. Quam
 verò nequicquam venditaverit ceu *piacularem* malis inflictis. Li-
 cet abfutura non sit *gratiosa* vicissitudo à duce & consummato-
 re fidei. Sicut animæ, subter altari ad vindictam proclamantes,
 spe bonâ differuntur *Apoc. VI, 9, 10.* Nam difficilis est carni no-
 stræ & odiosa Patientia; nec potest oportuniùs foveri à Dei Spi-
 ritu quàm Spe Meliorum *Rom. II, 18. & seqq.* Unde obfirmemur
 ad Constantiam *Thren. III 26. seqq.* & Pervigilium *Marc. XIII, v. fin.*
Luc. d.c. XXI, 34. seqq. I. Thess. V, 6, 7, 8. Rectâ enim spectat in Requi-
 em, Refocillationem, copiamve immensam boni reducis *Ebr. X,*
32-37. Nempe Mundo & Satanæ, qui fatigant & excruciant nos
 in omni vitâ, sive præfractâ violentiâ, sive obtentu juris & do-
 minii quæfiti, occurritur *talione & sine tadioorum*: quem præstat po-
 testas nova processûs parilis, ne sit impunè, tam asperè & indi-
 gnè habuisse fideles. Hic decor fortunæ inclarescet corporis
 renovati gratiis *I. Cor. XV.* ne tantillum incommodi videri possit
 toleratum causâ pietatis, cui neges redditam esse vicem.

§. II. Ap-

POSTULATIONE.

3

§. II. Apprimè id meditabuntur animæ magnæ & erectæ, quas præpotens hostium insultatio, indignè & ultra, quàm toleretur, deprimit. Sicut egregias ac principes personas non æquè detrimenta rerum & vitæ ipsius, ut *Autor vilis*, & injuria *Recti specie* illata, solent afficere. Hinc frequens in clade *ἄστυβιον*,

*Hac tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextrâ cadis. Æn. L. X, v. 830.*

Et Tellus, Phaëtontis ambirione ustulata, ad Jovem suum, *Ovid. Metam. l. 2.*

*Si placet hoc, meruique, quid ò tua fulmina cessant,
Summe deùm! liceat peritura viribus ignis,
Igne perire tuo, clademque autore levare.*

Ut Hercules ap. *Valer. Argon. l. 3.*

*Occumbes, i nunc, ait, Herculis armis
Donum ingens, semperq; tuis memorabile fatis.*

Eaq; indignatio Leonis in *Fabulis Phædri*, cui Asinus illudebat infirmo:

*Fortes indignè tuli mihi insultare,
Te natura dedecus quod ferre cogor, certè
Bis videor mori.*

Pari animo Rex Israelitarum primus *I. Sam. XXXIII, 4.* malebat ab armigero interfici, adeò suomet gladio incumbere, quàm præputiatis hostibus victima & ludibrium fieri. Nempè clarus & præstans quilibet, cui pectus generoso incoquitur honesto, memoriam fortunæ suæ ruminatus, *Parem aut Potiorem* ejus everforem patientius admittit. Ita heros terrâ cæloque gloriosus Johannes Fridericus Saxonix Elector, ad Mulbergam victus, dabat operam ut Germano, nobili Thiloni Trottio, captivus cederet; ac ultro induebat ejus collo suum torquem; averfatus Hispanum spolii & corporis arbitrum ap. *Sleidan. Thuan. licet Avila & Hortensius*, *Belli Smalcaldici scriptores*, studio partium, malignè premant, fassi tamen charitatem Germanix

A 2

popu-



4 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

populorum erga ipsum. Paranimus Galliae Ammiralio Gaspari Colignio, cum Behmius percussor immineret: *saltem, ait, ut viri, non lixa manu morerer.* Jobus ille πολύτλας hanc acerbitatem suae fortis deplorat, *insultari sibi à vulgo sordido & vilissimo c. XXX.* Merito igitur miramur constantiam, & ob contemptum injuriarum perfectum claros laudamus magis quam imitari possumus. Seneca in *Sap. non cad. injur.* Lips. de *Constant. Mand. ad Stoic. Philos.* Boeth. *Consol. Philos.* Quo nomine & Franc. Lanovius *Thuano* praedicatur, qui, in Rupellae obsidio, Pastoris Reformati injurias verborum, & manu in faciem sibi impactam illatam, tantisper dissimulavit, ut vir supra omnem injuriam sensum positus: Sed brevi post urbem deseruerit, viso, ut Magistratus haec talia fierent impunia. Cui inter gentiles praevit Lycurgus Sparta R. ap. Plutarch. At incomparabiliter omnibus Salvator *Ἰεσὺς Χριστὸς*, *Esa. 53.* exemplo sui merito stupendus *I. Petr. II, 21, 22, 23 Ebr. XII, 2, 3.* Haec omnino philosophia ejus est qui cuncta humana despiciatur infra sese, unum id decreto stabili persecutus quod Virtus officii perpetui obvertit; Ethnicis cordatis per ideam tenuem praefigurata, cum κατῆκον hianti studio velut lambunt. Ast Confessores in Ecclesia implevere, stupentibus mortalibus, ut Triumviri Regiam gratiam minasque adspernari *Dan. III, 17, 18.* cum sapiens tamen amet vitam suam, ceu depositum Dei, & vitae pretia temporaria; unde soletur industriam & salubriorem evadat usibus humanis: Scilicet quatenus id fini antefixo voluntatis Superioris consentaneum videtur, quod Stoa *Sequelam Dei* praedicabat. Lips. *d. Mand.* Quanto generosius tales perstiterint, ubi praemium longè illustrius liquidò prospicitur? Sicut Christus, in vicem depressionis ultimae, obtinuit nomen gloriæ & majestatis, praesertim imperii & vindictae dulcedine, praecipuum *Philip. II, 9.* Ac spes superaris conformitatis eodem vocat fideles asseclas. Libertas haec est à pristinis malis, nec simplex; sed Imperio ac Facultati vindicandi sociata. Hujus voluptas propinatur inter tormenta, ac lucro infinito prolicet ferendis adversis. Fert & miles bellorum adversa,

ICHTUM POSTULATIONE. 5
versa, dum suo tempore gerat res & hostium potiatur. Ac
Archinautæ Americani, duce Christophoro Columbo (re-
ctius Colono) molestias longæ navigationis variabant gra-
tiâ repentini luminis terræque, quam, ut Trojæ exules Ita-
liam, Italiam; lato clamore salutabant Tapper. *d. h. r. l. 1.* Per-
inde ac Magellanici freti rimatores, Caput Desiderii in Paci-
ficum mare ducens, ac reduces Indiâ Bonæ Spei Caput na-
cti, jam lætantur periculis, autores paria audendi Oceani fi-
liis *Navig. Collect. Merian. d. h. r.* Nedum si patriam, si portus
amicos jam nunc intratum iri senserint. Tam benè cedit spe-
ranti & acquiescenti in salute Jehovæ *Thren. III. 26.*

§. III. Enimverò & nobis vitæ indignè habitæ conspe-
ctus abyssum dolorum aperit. Jactura fortunarum & tran-
quillitatis privatæ per se gravis; autoribus, causis & eventu
asperatur. Cum Cacodamon & Mortales satellites intentant
honestis & bonis ingeniis dira quævis, ac eversum eunt me-
liora omnia vilos mereri. Frustra heic voces in auxilium
magistratus, sæpè incuriosos doloris alieni, tarda legum au-
xilia, patrocinia venalia, amicos in periculo trepidos. E-
necant moræ, exenterant impensæ, gulas lucripetaces non
magis ac barathrum expleturæ. Abeunt in fumum ventisq̃
ludibrium debent verbis speciosæ & carò emtæ intercessionem,
re inanes. Sic vivere coactis quænam patientia duret undi-
cunq̃ destitutis, nisi Deus ac Dominus noster, justus & probi
æstimator incorruptus, vel è longinquo ostenderit signum
salutis retributoriæ?

Tantò nunc pressius inhæreamus vitæ compositæ, ea-
musve ovantes animis, spe damna peracerba levaturi. Ut *Mo-
sen exulem* Apostolus laudat, ac plures ingenio pari. Præce-
pta vicissitudo firmet labantes spiritus, præspeculatos fortu-
nam aliam, quâ macti, & eminentes in Tribunali Justitiæ
Gloriæque Divinæ, despectabimus tortores nostri tam nefa-
rios, dictaturi tantundem supplicii, quanto nos unquam
excarnificârunt. *Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere
eis qui affligunt nos, afflictionem: nobis autem relaxationem in releva-*

6. DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

tionem Domini Jesu II. Thes. I, 6. 7. Ubi τὸ εἶπερ δίκαιον, siquidem, αἰτιολογικὴ notio est, cujus ratiocinationis simplex vis in eo, pati vice actorum, τὸ ἀντιπεπονθὸς, εἶθε παθοὶ τὰ ἀ' ἐρεξεδίκη ἰθεὶα γένοιτο: per ipsam Samsonis apologiam Jud. 15, 11. pari sensu cum Palæstinis v. 10. Ut δίκαιον, per se, est quod rationi naturali congruit. Quamvis Grotium h. l. speciosè repellere cernas additò τὸ θεῶν Θεῶν, apud Deum id æquum videri, vi decreti de malis, & promissi per Gratiam in pios. Quò non assurgat homo secum solum ratiocinatus: cui imò validè resistet intellectus humanior, ultionem, nisi ordinatam à Superiore, consensu cordati cujusvis, improbens. In quod operosos videmus Stoicos Græciæ, Sapientis suo studium vindictæ penitus eximentes: fortè per παροδοῖα ac notitias ab Ebræis acceptas, quod Ambrosius de Offic. non immeritò imputat. Quo fit cur Autoribus Ultionis naturalis, tam certatim repugnetur, ad Decalogi Præc. V. & Grotio de J. B. & P. l. 25. c. 20. n. 8. Conf. D. Ziegler. Osiandr. Jeros, Moralistas, e. c. Struv. de Vind. Priv. Quæ negativa ut obtineat, fundari debet in negatione Juris Naturalis Nudi, sive præcisè à lege Dei spectati. Eam porrò assertum iverunt omnes moralitatem objectivam, quæ dicitur, Scholasticorum quorundam, averfati. Confer Acta certaminis ab aliquod annis tracti Scriptis Eridis & Erotis titulo congestis. Probè facere videntur qui Hominis instar omne, ut Eccles. c. ult. v. penult. docetur, in Dei reverentiâ, & mandatorum curâ locant, mores probabiles iis definiunt, hominem & humanas in benè agendo ἀεγλήψεις & ἐννοίας κοινὰς, datum & arbitrarium quid, puta Dei placito, agnoscunt, theologiam naturalem & revelatam quæ speciatim salutatur, solo incremento à fonte uno distingvunt, ceu normam Honesti, Decoris quæ audit καλοκἀγαθίας. Undè facile transfegeris, ut contentio otiosa & frustratoria deseratur. Legantur de Lege Dei loci Philippi, & Chemnitii exegesis, cui tota Sanctorum acies sese promacham sublocat. Lugendo inter cætera Ecclesiæ purioris vulnera exemplo, his talibus, post percognita humani ingenii principia certa, ferram stridore convitiatorum nomini vindicando, quod præfertur, trahi

trahi & Juventutem patriæ bono innutriendam, hoc velut pretio studiorum distineri. De quo scandali periculo vel præbito, vel admissio, ne ratio repetatur, nobis singulis seria & continens sollicitudo obversabitur. Paulum pro tempore talionis & notitiam & justitiam, *ὡς θεῶν*, per Dei declarationem eximiam, asseruisse suis Thessalonicensibus, non ambigas. Superior ipse suis creaturis, *agendi modum*, quæ *μεσότης* Aristoteli nondum pervisa est (Conf. Crellii Socin. *Orat. II. de Natur. Honesti T. IV. sine Ethica Christiana*) & Stoicorum *sequela Dei*, in animo & Vita sapientis prævit. A quo si recesserimus, extrema odii secuti, vicem responsuram, sanè acerbam, idem denunciat. Nec dicto eventum de fore, Veracitas & Sanctitas Domini, præstabit, amore piorum, quos vel seriùs solari, & præmio patientiæ obfirmatæ mactare studet.

§ IV. Cujus fati omen aucupatis forte fortunâ occurrit S. Paulus, & *I. Corinth. VI, 3.* torpidos ac trementes corripit: *ὄχι οἶδατε, ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινέουσιν; καὶ ἐν ἡμεῖν κρινέται ὁ κόσμος;* *ὄχι οἶδατε ὅτι ἀγγέλους κρινέμεθα;* i. e. *Ignoratin' quod Sancti mundum judicabunt? Et per nos judicatur mundus. Ignoratin' quod angelos judicabimus?* Sic Judicium de Mundo, de Angelis, pretium operæ ex officio navatæ Christo, fidelibus ostentatur. Levenè id an ineptum pacando animo, donec tam lætus dies alluxerit afflictis? *Sancti* saltem simus, quales divina species sui imitatione approbat.

§ V. Mireris autem rem tantam non eminere clariùs in S. Scripturâ, quam Apostolus Exprobratione Interrogatoriâ, ceu dudum explicatam & notissimam, urget. Unde P. Lombardus *Sent. l. 4. D. 47. l. b.* ingenuè profitetur: *si quaeratur, quanam futura sit eorum (Sanctorum) potestas vel autoritas in judicando, puto non ante scitum iri, quàm videatur, nisi divinâ revelatione quis didicerit.* Id quod probè dici variatio Dd. in argumento docet. Adeò Meditatio hæc, dum alii incepto de *Judicio Christianorum civili*, ad Paulinum locum jam citatum, cruciabiles moræ vitæ afflictæ obnituntur, & Novissimorum memoria in peregrinatione hac luctuosâ advertit: nos quoque

8 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI
que provocat ut pro Christiano cogitemus I. De *Judicii San-*
ctorum in Fine Mundi EXISTENTIA. II. De CONSTITUTIONE.
III. De PROCESSU, & IV. Usu salubri. Conabimur per
lineas spei sollicitæ primas. Perficiant Pii, quos Dei favor,
cujus opem supplices imploramus, profusiùs auxerit.

CAPUT II.
DE JUDICII SS. IN F. M.
CERTITUDINE.

§. VI.

COmperto igitur ut Corinthii amplexi fidem Chri-
stianam, in convictu quotidiano, cum confortibus
fidei, ad rixas de rebus & bonis temporalibus pro-
laberentur, & his dirimendis ultro citroque adirent
magistratus gentiles: Paulus revocat homines ad conscien-
tiam status sui, ceu *Christianos*; ac primam rationem *dignitatis*
sue habere jubet. *Sustinet, inquit v. 1. aliquis vestrum, negotium*
habens adversus alterum (eiusdem nempe professionis Christia-
næ, non solum haud privatim transigere, sed & in forum pro-
rumpere ac) *judicio experiri? idque sub injustis* (incredulis ac non-
dum conversis, suam libidinem pro lege solitis habere;) *ac non*
potius sub sanctis (fidei nempe & religionis veræ, quæ sæcernit,
vos à vulgo ethnico, & Deo propiores fecit, confortibus?)
An verò ignoratis (id quod vos tam clarè docui) *Sanctos* (quos
dixi, perseveranter amplexos & secutos Christum) *Mundum*
(reliquos homines incredulos) *judicaturos* (in die novissimo
destinatione divinâ, cum Filius Dei veniet ad iudicium de
genere humano peragendum?) *Quòd si per vos* (uti spes est per-
severaturos in statu renovationis) *judicabitur mundus; indigni-*
ne estis minimis (nempe si comparentur objecta seu causæ mu-
tui dissidii ad mundum) *judiciis* (rerum talium, ut hæc or-
dine peragatis inter vos ipsos v. 2.) *An ignoratis* (quòd tamen
pari

CERTITUDINE.

pari evidentiâ docui vos (*fore*) ut non solum homines, sed & *Angelos* (Spiritus malos) *judicemus* (in eodem die panto critico Christi) *nedum ut circa ea, quæ vitam quotidianam & victum corporis spectant* (citra interventum ethnicorum, jus & concordiam tueamini?)

§. VII. Hoc nempe iudicium, ceu prerogativa à Deo concessa Corinthiis, tam luculenter patuit, ut mereantur identidem notari ignorantia crassa & incogitantia absurda: *ὄχι οἴδατε; ὄχι εἶδατε; ignoratin', ignoratin', v. 3, 4. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῶν λέγω, ad pudorem vestri dico v. 5. nullusne amplius cordatus inter vos est, qui monita revocet ad animum?* Undè argumentum explorata veritatis obverti oporteat litigiis infauftis, ut nostri, memores Dignitatis suæ, parcius dedant sese in arbitrium hominum indignissimorum. Quamvis hoc ipsum hodiernum adeò ignoretur passim, ut inter obscura & insolubilia Scripturæ meritò referri videatur. Sanè *Affirmativa* Pauli tam asseveranter editur ut dubium omne excludat. *Interrogatio* enim ejus *Elenctica* est, adhiberi solita in Sacris, cum quis ad notissima & per se scienda revocatur *Luc. II, 49.* nempe pro statu in quo tale quid ordine sive intelligi. Ut Paulus *inter prima doctrine elementa* repetit dicta *de Novissimis c. XV. 1, 2, 3.* Perinde ac *Epist. ad Ebra. c. VI, 2.* iudicium æternum refert ad sermonem *qui rudes in Christo inchoet, v. 1.* Quo coacervantur textus ut *paralleli, è V. T. Esa. III, 14. Dan. VII, 9. Joël. III, 12, & N. T. Matth. XII, 41. c. XIX, 28. c. XXV, 34. Luc. XI, 19. c. XIX, 31, 32. c. XXII, 30. I. Thess. III, 13. III. Tim. II, 12. Jud. Epist. v. 14, 15. Apoc. II, 26, 27. c. III. 21. c. IV, 4. c. XI, 16. ex Apocryphis, Sap. III, 1. seqq.*

§. IIX. Seqvuntur *Doctores* omnium Partium consensu magno. E Pontificiis *d. jam Lombardus c. l Non solus, ait, Christus judicabit, sed & Sancti cum eo judicabunt nationes.* In id citat *d. Matth. XIX. Marc. X. & Ps. CXLIX.* qui tamen communiter omittitur. Post ipsum Thomas: *Judicabunt perfecti viri cum Christo.*

§. IX. Nec abnuere videatur *Ratio humana, æquum, rata,* ne impunis sit malis sua pravitas; ut bonis & eximiis

B

virtutum

10 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

virtutum cultoribus sua integritas proficua; certè soletur talione molestias & injurias olim perlatas, ut è *Rom. I. & II.* velut *veritas, detenta in injustitiâ c. I. v. 18, 19, 20, 21. & c. II, 14, 15, 16.* inferatur. Idque *Fabulis gentilium* pridem jactari sivevit, ut judicio atroci vindicentur eminentia facinora, ut sedeat æternumque sit sessurus Theseus infelix; Tityi jecur rodatur, Sisyphi lapis, Tantali Rota volutetur, & quæ plura Poetæ Græcolatini compegerunt in structuram *Inferni*; post agnitam *πανολαγείαν mundi, igne consumendi.* Licet, re ad vivum exploratâ, intellectus sibi relictus vix dum videatur huc usque eniti. Sicut *comburium mundi*, non humano scrutinio & judicio, sed *Fatis* imputat Ovid. *Metam.* Nec si ab ipso primorum Parentum ductu processit notitia per populos, ipsa non fit mera *Traditio.* Summa ejus vis *tremore conscientie* absolvetur, ut *vindicem meum* appareat *d. Rom. II, 14, 15.* Ipsos mortales eâ facultate libere potituros in hostem, nondum colligitur; uti *Resurrectio & Christi-Hominis Judicium* meræ revelationis est *Act. XVII, 30, 31.* *Tempora ignorantie* non minuit *attentio quorundam v. 32.* qui non nisi *concione hac moniti*, incipiunt rei *probabilitatem* agnoscere. Nec par est ratio *hujus Indaginis*, quæ *θεογνωσίας naturalis*, *d. Rom. I.* quam Socinus in *Prælect. c. 2.* perperam ibat inficias. Cui egregie satisfacit *Thom. P. 1. q. 2.* Gerhard. *Exeg. L. 2. §. 59.* *Episcop. Instit. l. 1. c. 3.* Confer. dissertata inter ethnicos, ut *Ciceroni Epist. Famil. l. 5. 16.* qui eam rem *lectu & auditu sibi compertam*, ac *Socrates I. Tuscul.* moriturus *ignorantiam* fatetur *universorum.* Vid. *Plato. in Phædon.* inde *Calixt. de Resurr. c. 11. & de Judic. Extrem. s. ult. p. 155. & seqq.*

§. X. Cæterum ipsa Revelatio eget discretionem, ne dicta alludere & assimilare visa, ut *Rhetores sacri* operose exequuntur, pro certis *Doctrinæ principiiis* accipiantur. In quem sensum penetraturi, velut certum accipimus, *Judicium, κρισιον,* apud *Paulum b.* & cum de *SS. Judicio finali*, uti de *divino*, agitur, accipi proprie, ut sit *Actus externus quo juris & injurie discretio, per potestatem, normam & processum legitimum, exercetur.* Distingvi autem solet in *Inferius, mercenarium, mandatum;* & *Superius s. Appellatio-*

pellationis. Utroque obtinet cura ut *antecedentia*, *constitutiva* & *consequentia*, per se vel ex accidenti debita, pro eo ac genus Fori & Actionis requirit, observentur. Certè cum *Dei*, iudicis tam accurati, auspiciis hæc opera dicatur suscipi. Ista nominis explicandi præcognitio tenuit etiam Thomam *Supplem. P. III. q. 89. n. 1.* Et in textu *κατακρίσει* finem & eventum proprium detegit, nempe *κατακρίσει*, *condemnationem*, ut *Joh. III, 10. II. Petr. II, 4.* per *Rerum* statum & merita. Nec obstat in *Veri*endo retineri oportere *vocem mediam*; ceu urget *Eduard. Leigh. Crit. S. h. v.* in-
 vectus in suos, qualis *Fr. Junius* est, quod ad *Joh. V, 24. κατακρίσει* verterint *condemnationem*. Nam id, ait, est *Exponere non Vertere: vertendæ voces, non ut tropicè intelliguntur, sed ut significant.* Cui favere dicas *Lutherum c. l.* Licet *versio*, pro loci exigentiâ, non malè induat *vocem Exponentem*, falso *Anglo* quod *κατακρίσει* sæpe in *malam* partem pro *κατακρίσει* accipiatur. Ut *Teutoni* *Pœna capitalis*, & *Locus*, est *Gericht*. Et *versor sensum genuinum* respicito, quod hic fit, *sine & eventu proprio* connotato.

§. XI. Sanè si sequimur *d. cap. Joh. V. v. 22.* collatis *Psal. 72, 1. Jer. 23, 5. Dan. 7, 14.* & aliis locis, ubi præcisè *Imperium Christi* *despoticum cum Patre commune* indicatur, & actibus *judicii, consilii ac legislationis* independentis continetur, *vox generica* non vertitor, sine *caussâ urgente*, in *specificam & partialem*. Sic censeas *judicium Christi* ad utrumque eventum indifferens; at *v. 29.* & tota series textûs *Johannei* ducit in eventum *tristio-*
rem, & opponitur *ἀνάστασις καὶ ζωὴ ἀναστάσις ζωῆς*, estque ipsa, *κατακρίσει v. 24.* Nec evidens ratio est *v. 25.* de *spirituali vitâ*, ceu *fructu judicii*, acceptam velle *vocem*; ac statuere *diversum v. 28.* cum mutatio *suppositionis* in *sermone* continuo non præsumatur. ἐπιτασις orationis *Christi v. 25 ad v. 28.* abunde patet, cum id, quod *indefinitè* dixerat de *vi judiciariæ suæ* *vocis v. 25.* dein porrigit *v. 28.* ad omnes, usque ad *diem judicii ultimi*, *mortuos & sepultos*.

Exceptio autem quæ *B. Æg. Hunnium* aliosque *Dd.* movit in verbo *ζήσονται*, *vivent*, pote st videri sublata per *Grotium* *phrasi parili* *Matth. II, 9. Marc. XIV, 11. Act. XXI, 22.* Nec enim

12 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

sequitur, si excitati vivent, Ergò vitam beatam. Et vitæ conditio tam in perpetuum dispar prodit usum nominis. Quid ergò? vivent, certo & perseveranter, ne vita eorum putetur effectus vocis divinæ momentaneus & inanis. Nec obstat, τὸ νέειν hoc ipso VT. cap. v. 1. indifferenter sumi. Ergò & v. 2. ac 3. Servatur enim vis ejus, in usu cognitionis Sanctis concessæ, tanto magis sub commutato eventu juris decreti, quem quidem indoles & status personarum protinus infert. Planè lis Grammatica è rerum subjectarum indole finiri, & signa signato adcommodari debent. Sufficit heic Judicium propriè dictum notari. Scopus & Eventus non mutat ejus genus in usu nominum.

§. XII. Quod diligenter tuebitur Paulinus interpret in progressu, cum incertitudo de modo judicii Autores intricaverit, cupidos rem incognitam ponere in luce Rationis apertissimâ. Cui hoc saltem per indicia obvia patefit, quòd Judicium de quo loquimur, sit Actus quo Christo, cum ad suum judicium, mundo visibili mox perituro, venerit, præside, Fideles Homines, pro tribunali, de Hominum & Daemonum malorum Peccatis, legitime cognoscant, & decernent, ut in ipsos eterno supplicio vindicetur.

§. XIII. Quo concesso Loca allegata non videntur parievidentiæ. Talis sit Esa. III, 14. 15. ubi vocula וַיִּשְׁתַּחֲוֹת est oppositiva, ut Gen. XXVI, 20. Psal. 85, 5. 94, 16. ac vis vocis è verbo וַיִּשְׁתַּחֲוֹת surgere, nempe hostiliter in alium, æstimanda. Nec probè verterit Arias: cum malignis: Optimè V. Lutherus: Wer steht bey mir wieder die Bößhaftigen? Wer tritt zu mir wieder die Uebelthäter? & post ipsum Junius: quis surrecturus fuisset pro me contra maleficos. Sic Prophetæ vox est, וַיִּשְׁתַּחֲוֹת stans, & cum exegetico causæ ac finis, וַיִּשְׁתַּחֲוֹת ad litigandum; additque expletivam, וַיִּשְׁתַּחֲוֹת & consistens ad judicandum populos. Mox autem v. 15. devenit ad suos & inter hosce Principes, phrasi exercitâ: וַיִּשְׁתַּחֲוֹת Ac, repentinâ conversione verborum conceptorum, actionem intentat: Vos succendistis &c. Ita benè Arias in Comment. h. & Versores, Vatablus cum Notis suppositiis, Castalio, Osiander, Junius, post Hieronymum h. Lutheri: Mit dem

CERTITUDINE.

den Eltesten s. v. è seqq. firmatur. Ut Teutones loqvuntur, mit einem zu Klange/zu Streit/vor Gericht kommen/nempe ut cum parte adversâ. Is τὸ μέγα, sensus apud LXX. h. ut Apoc. XI, 7. bellua, testibus Dei intensa, init prælium μετ' αὐτῶν, cum ipsis, ut Arias, adversus, ut Junius aliq̄. Nempe particulæ vis ex verbo suo pendet; ac per se *compositiva* est in ullo genere, ut in ipso prælio & judicio, consertio manuum ac caussâ, non amica: Uti scopus, modus consequensve eventus docet. Quo ipso Prophetia hæc nil minus quam d. Judicium SS. præ se fert.

§. XIV. Nec Daniel c. 7, 9, 10. tale quid asserit. Licet enim 1. Plurium versione, verba כְּרִסְיָן בְּרִשְׁתָּן dicant, *Throni sunt positi*; cui respondeat *confessus Dei sequens*. quo etiam respiciat Apoc. 4, 4. collato ritu sedium Judicii in V. Test. celebri; quod τοῖς LXX. & Luthero placuit: *Bis das Stühle gesetzt wurden.* Vicissim tamen Vatablus, Junius: *donec throni ablati sunt*, vi verbi כְּרִי, *jacere, dejicere, projicere*, apud Daniel. c. 6, 16. c. 3, 20, 21, 24. & alibi. Comparantur *sedes Dei* ut longè *diverse v. eod. & seqq.* à *mundanis thronis*, qui tantisper *dominati erant*, ut v. 8. exponitur *Cornu verborum granditate, velut pro imperio. Violenta igitur deturbatio*, non *collocatio thronorum prædicatur*, nempe horum qui *pristinis potestatibus servierant*. In quorum locum *Divinum statuitur*. Conf. Geier. h. Nec obstat, *Buxtorfium spectasse aliò. Lex. h. v. quia locis Daniel. notatis hunc omittat.* Item, non posse agi ante de *thronorum remotione, quam judicium sit peractum.* Locus enim *judicio dei destinatus, prius purgari debuit.* Mox explicatur *ordine processus & ejus effectus v. 11, 12.* Luculenter patet v. 17, 18. ubi dicitur *regna mundi eversum iri & successurum R. SS.* Idem repetitur v. 21, 22. simili antithesi. Ut v. 26. *judicio Dei confidente, dominatus prior auferri dicitur, prævalente isto v. 27.* Nec 2. *mentio ulla fit confidentium cum Deo Sanctorum, sed adstantium & ministrantium.* Loca quo Gl. *Jenensis* provocat *Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. jamjam inspicientur.*

§. XV. Locus Joelis c. 3, 12. quem imitatur & explicat

14 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

Johannes *Apoc. c. 14, 14, 15*, nil addit dictis claris de sessione Dei judiciariâ; adeò rectiùs omittitur.

§. XVI. E. N. T. dictis celebre est *Matth. c. 19, 28*. Paulino nostro vulgò jungi solitum, 1. per *Tempus παλιγγεσίας* s. statûs novi. 2. *Sessionem filii Dei in throno gloriae suae*, ut *c. 25, 31*. 3. *Confessum SS. cum Christo*. 4. *Finem*, nempe Judicium XII. tribuum notatum.

Verùm aliò trahimur veritate rerum. Est omnno 1. *παλιγγεσία* ista status SS. beatificus in esse suo completo, qui *judicio peracto* & mundo perduto successit. Nec ulla necessitas sed multa improbabilitas est eum *prolepticè* & inchoativè heic accipere velle. 2. *Sessio Filii Dei* cum illa *c. 25, 31*. neutiquam coincidit. Prior enim *c. 19*. est statûs *mundo jam deleto* spectati; posterior, *adhuc delendo*, ut distinctè demonstratur, proposito reatu fontium, sessione conspicuâ ad bonos malosve, examine, decreto, executione. 3. *Confessus cum Domino*, est communio beatitudinis *perfecte*, ut si herus seruum patiatur convivam, cujus conditio standi & ministrandi operam exigit. 4. *Judicium XII. tribuum* est concivium *beatorum in caelo*. Agnoverunt hoc dudum Patres qui citari solent, Chrysostr. *hom. 65. in Matth.* & alii.

Quid igitur? *Allegoria est hyperbolica*, quâ describitur tantummodò felix & gloriosus status Apostolorum, sub metaphora principalis & regii regiminis, quale in Israëlitico populo historia V. T. repræsental. Non enim indicatur hac ratione, tale quid futurum secundum literam, i. e. Apostolos velut judices in subselliis sessuros, & cæteros mortales post hanc vitam judicatuuros esse, quia expressè *1. Cor. 15, 28*. dicitur, *ipsum filium hominis tunc regnum restitutum Patri, & Deum ipsum tunc futurum omnia in omnibus*. Sed voluit tantum Dominus Jesus sese accommodare ingenio & affectui suorum, qui *regnum aliquod & regni honores & dignitates sibi spondebant sub ipso in his terris*. Id autem meritò facere poterant, quia status ille, in quem transferendi erant Apostoli ipsius, simile quid habiturus erat regio statui, quem sibi ipsis imaginabantur,

CERTITUDINE.

tur: aut saltem quia id quod in regio statu præcipuè attendi solet, ipsis eventurum erat: quæ caussa etiam est cur futura illa gloria & majestas non raro assimiletur illi statui. *Similitudo* autem in eo consistit, quòd, reliquis à morte subactis & æternæ condemnationi subditis, ipsi ex morte victores triumphaturi essent, & sic reliquis quasi victis dominaturi. Quæ ad d.l. *Episcopus* optime.

Minus autem probabiliter *ibid.* negat Autor, Christum his verbis insinuare *prærogativam gradus gloriae Apostolis promissæ*: cum alioquin concedat *gloriae gradus ad c. 20. v. 23. p. 130. b.* idoneâ textûs ratione. Contra quàm solet P. Martyr *in locis commun.* & plures Reformationum; quibus videtur satisfacere Gerhardus *LL. CC. de Vita ætern. §. 121. & seqq.* Non enim solum *syncretism statûs beatorum ad damnatos* innui, quod minus quàm pro re est, sed & alios concives regni gloriae promitti docet cum Petri postulatum *v. 27.* statusque Apostolorum, ac communis *Dd. Justitiæ eminentia Dan. 12, 3.* tum discretio fortunæ disparis, à Paulo clarè ostensa *1. Cor. 15, 42.*

Quod cum consensus tantus *Dd.* probet, affectatio contradicendi in Martyre, inde Tileno, Vorstio, Schonfeldio, non immeritò arguitur à Lutheranis. Nec igitur Wendelinus *Theol. Christ. l. 1. c. 27. th. 17. n. 3.* habet de quo nostros ceu temerarios accuset, quia negent, *æqualem gloriam fore*; lusu terminorum excluso. Nec enim vel Lutherani promiscuè imputant hoc *ut absurdum* & ratione carens: vel re ad vivum, *refectâ, ea æqualitas est exors absurditatis*: vel absurditas exitur rationibus utcunque obtentis. Est hæc repugnantia ad ea quæ videntur vel omnibus, vel prudentibus *in subjecto rerum certarum genere*; adeò ubi testimonia, leges & rationes extant, quibus obloqui velle periniquum, impudens & aperte contentiositatis sit. An idem Martyr cum asseclis nil tale committat, pronunciato Calvinus ipse, cum *Instit. l. 3. c. 15. num. 10.* Quod, ait, *Scriptura docent, ab omni controversiâ exemptum apud nos esse debet: nempe sicut Deus sua dona variè in hoc mundo sanctis distribuens, eos inæqualiter irradiat, ita non fore æqualem gloriae modum*

in

16 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

in caelis, ubi sua dona coronabit Deus. Neq³ enim competit indifferenter in omnes quod dicit Paulus: Vos estis gloria mea & corona in die J. C. 1. *Theff. 2, 19.* Et illud Christi: sedebitis judicantes duodecim tribus Israël *Matth. 19, 28.* Adde n. 11. ad verb. *testatum est.* Igitur temerè infimulat Wendelinus Lutheranos *temeritatis*, & conatur eximere reatu *absurditatis* Novatores suos; quos Calvinii monitorum meminisse oportebat *eod. n. 11. spinosis questionibus, quas sibi obstaculo esse cognoscant (tales) valere jussis, metas sibi propositas non transilire.* Nec solam privatim sibi à supervacuâ rerum inutilium investigatione temperandum, sed & cavendum, ne aliorum levitatem respondendo foveat.

Nos quidem permovet Affirmativa, quia 1. Christus, primogenitus resurgentium, exaltatus refert gloriam *incomparabilem*, vice exinanitionis *ultima*, *Philip. 2, 5 - 11.* 2. Charismata multum *variant* & eorum dispensatio *1. Cor. 12. & 13. 10.* unde & gratiofitas meritorum tam *dispar* est *c. 14. 15. v. 41, 42.* boni sanè genere, non gradu ejusdem. 3. Status fidelium apud Christum & promissio diversa sunt, uti tot *loci* addicunt. Ita Patriarcha *Abrahamus* obtinuit ut *sinus* ejus vice beatitudinis aeternae nominaretur, cum & *Paternitas fidelium*, & *benedictio universalis* ad ipsum referretur; mira specie, ut fomentum & lactatio filiorum, materno sinui cæteroquin debita, hunc patrem & exemplar fidei nobilitaret. Quæ moverunt Doctores Ecclesiae, cur *Gradus gloriae* agnoscerent. Cui igitur adversari nonne *absurdum* audiat? Alia *falsi* quaestio est. *Locus Matthaei* ipse quam aptè referatur eodem, *parallelismus* docuerit.

Nec licebit ita consentire Episcopio *d. v. 30. & equalitate primorum & ultimorum in premio bene habendi*; quo sensu minuit vim priorum. Salvator autem praesumptionem periculofam *Meriti* è consiliis praecipitq; ademtum it, nullâ *ἐπινοήσῃ* aut restrictione additâ, ut Episcopus *p. 126. b. fin.* rectè observat cum aliis Dd. De *Aureolis* s. *Laureolis* talibus confer. *Gloss. Calixtus de Bon. Perf. Summ. p. 37, 38, 39.* è *Gloss. Ordin. ad Exod. 25, 25.* *accidentalis* praemii assertor bonus.

§. XVII. Nec locus *c. Matth. 25, 34.* hoc SS. *judicium* stabilis.

stabilit. *Regnum* confertur ipsis, & ratio muneris tanti additur
v. 25. eaque tam promiscua, ut facti probabilis & præmii copia
hactenus exæquetur.

§. XIIX. Sic *Matth.* 12, 42. infert iudicium *comparativum*
facti Ninevitarum & Reginae Arabicae, cum Judaicâ pravitate:
notâ Profopopœiâ quâ personæ dicuntur facturæ hoc, ad quod
res ipsa personis tributa causam præbet. *Resurgent* ita Ninevi-
tæ & R. Sabæa, nempe *exemplo suo prævii* in quærendâ bonitate
Dei, tanquam *ratione arguendi* *Judeos* quàm justa ultio sit in ipsos.
Eadem est *condemnatio fontium convictorum* *Rom.* 2, 27. *Ebr.* 11, 7. Sic
lapides inclamaturi dicuntur officii contemtores, nempe ut species
rerum moveat ad conscientiam meliorem *Luc.* 19, 40. Confer no-
tata è *Thoma* §. 10.

§. XIX. *Verba Luca* c. 11, 19. & *Matthæi* c. 12, 27. sanè *Erasmo*,
Osiandro in *Gl. B. Gerhardo LL. CC. de Judic. Extrem. n. 41.* visa
sunt prædicere tale iudicium. Sed *B. Lutherus Postill. Eccles.*
Domin. 3. in Quadrage. p. 259 a. aliter censet: Die Kinder / davon
hie Christus redet / daß sie Teufel austreiben sind (acht ich) ge-
wesen Teufelsbeschwehler im Volck / wie denn Gott diesem
Volck mancherley geistliche Gaben geschenckt hat von anbe-
gin und nennet sie ihre Kinder / als solt er sagen / Ich bin Gots
tes Kind / und muß des Teufels seyn / so doch die / welche eure
Kinder / und von euch geböhren sind / eben dasselbe thun / und
müssen nicht des Teufels seyn. Darum werden sie auch eure
Richter seyn / das ist / ich beruffe mich auff sie / die werden müs-
sen urtheilen / daß ihr mich mit unrecht lästert / und euch selbst
verdamt. So dann ein Teufel den andern nicht austreibt / so
muß ja eine andere Macht thun / die weder teufelisch noch
menschlich ist / sondern göttlich. *Cui subanceps B. Glassius*
Not. Exeget. ad h. l. malit accedere, quia tam discipuli quàm Chri-
stus petuntur convitio tali. Exorcistarum verò Judaicorum
studia tunc yiguisse, ut Arte Salomonis (quam Josephus A. J. l. 8.
c. 2. & Belli c. 9. c. 25. laudat) commentitiâ fisi, dæmonia expul-
sum irent, non est ignotum, conf. Act. 19. Eaç calumnia Sal-
vatori, cujus potentiam ἀλεξίνακον negare non potuerunt,
C impacta,

18 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

impacta quòd, per *Schemhamphorasch furto subductum è Gazophylacio* dæmones ejiceret. Conf. Luther. *de Schemhamphorasch T. V. Altenb. ad Ann. C. 1543.* Filii igitur *Judæorum*, sunt discipuli Rabbinorum, ut *Prophetarum 2. Reg. 2, 15.* sive populares; uti Paulo ante *prolem eorum propriam* nominat *v. 11. 13.* adeò Exorcistæ dicti. Autoritas visq̄, quâ pellunt dæmones, est *nomen Dei.* Judicium de censoribus Christi iniquis, Filii ipsorum ferent hoc: aut hidem expellunt dæmones in nomine Dei, aut Satanæ. Si prius, ergò & Christus. Sin posterius, ergò diabolus seipsum destruit. Hoc autem repugnat *insito* ejus studio quo it *obsesum* homines. Cæterum an, inter alios Judæorum elenchos, etiam *factum Exorcistarum* contra ipsos in extremo judicio sit militaturum, caret dubio. Nec vel ipsi tamen, vel proles ista accensentur *Sanctis.* Unde locus iste nil faverit intento SS. judicio.

§. XX. Propiùs tamgere causam dicas Pauli verba *1. Thef. 3, 13.* quæ & B. Gerhardus *d. l. §. 41.* adducit. Sed mutant habitum ex *subjecto τοῖς ἀγίοις* addito, nempe *Angelis*, quos appellat *Gl. Jenensis h.* & confirmat velut parallelis *2. Thessal. 1, 10. Ep. Jude v. 14. Matth. 25, 31.* adde *cap. 16, 27.* ut *Deuter. 33, 2.* per exegefin Stephani *Act. 7, 53.* Pauli *Gal. 3, 19. Ebr. 2, 2.* Licet autem Hugo Grotius *ad h. l.* nostrum censeat, *intelligi posse veli angelos veli homines, qui usque ad Christi adventum victuri sint in terris;* id tamen non apparet; cum adventus Christi visibilis sit *de cælo* futurus, & inde simul processurus SS. comitatus. *Homines* autem sancti non omnes sint venturi *cum ipso*, sed *ad ipsius adventum resuscitandi & occursuri*, juxta *Esthium h.*

§. XXI. Nunc quid Henoehica prædictio *Jude v. 14.* promittat, juvet intueri. Verùm eapse per loca jam laudata defierit in *Sanctos*, nempe *Angelos*, *Gl. Jenens.* B. Gerharo probata, *Osifiandro & aliis.* Summa quæstionis redit ad *subjectum, ἀγίοις, quinam sint hi? Angelos, & loca V. T. & contextus,* rei naturam eandem cum *Matth. 25.* exprimens, ostendunt. Eodem fit cur non rarò & *homines* intelligantur, ut *Deuter. c. 33, 3.* licet alii *v. 2.* *Angelos* agnoscant. Supplet tamen *Vatablus & Junius*, ut adveniret.

veniret turba è myriadibus SS. ad quos & Lex ignea prodita esse dicitur. Nec ratio fit *in continuo* textu mutare *genus suppositionis*. Verùm, quòd d. *Act. 7, 53. lex per ministerium Angelorum dicatur accepta*, probabilius apparet, *v. 2. Sanctos eosdem innui, non homines*. Nempè Adventus Domini majesticus Satellites Angelos trahit. Cum igitur aliqui dicuntur *venire cum Domino*, Angelos eos esse præsumpseris; donec prædicata textuum doceant, quòd *diversi generis creaturæ, e. c. homines, sint accipiendæ*. Qui nomen *Sanctorum Domino venienti additorum*, ad alios, quàm Angelos, relatum vult, ei probatio incumbit.

§. XXII. In *2. Tim. 2, 12.* Statum beatitudinis *absoluta* agnoscimus, ut *v. 5, 10.* Undè nil colligitur pro *judicio tali*.

§. XXIII. *Apocalypticus* textus & plures & speciosi occurrunt. *Primus est c. 2, 26, 27, 28.* quem verò Bellarminus *Controv. de SS Beatit. l. 1. c. 18.* torquet ad suæ sectæ studium, nempè ut probet, Spiritus Sanctorum esse præfides hominum superstitum: Undè *adoratio & nugæ solennes Papismi* confirmentur. Sicut *Tutanos* tales provinciatis & oppidatis captant; eoque nomine cadavera ceu Palladia prensant. Cujus specimen insigne præbuit *Mandræ nostræ Instauratoris Translatio*, ut *Parthenopolis* captu facilior foret. Licet *Pragæ*, quo abiisse dicuntur reliquæ, parum profuerint, toties captæ & spoliatæ. Conf. *Diss. nostra de h. r.* Bellarminus quidem nondum docuit *τὸν νικῶντα, vincentem, esse Spiritum mortui*, cum & verbum *νικῶν, præsens pro futuro*, loquatur; uti *exegeticum, custodiverit ad finem opera mea, demonstrat. Opera Christi* complectuntur internam hominis conversionem & externa officia sanctitatis, quorum studium fidele & constans debetur. Ac, si perseveret ad finem vitæ mortalis, victoriæ præmia præstò erunt, ut Paulus sibi & aliis commilitibus spondet *1. Tim. 4, 6, 7, 8.* eoque cohortatur *v. 5. c. 2. 1. - 12. Epist. 1. c. 6, 11, 13, 14.* 2. Nec liquet, *virgam ferream* ejusque *usum indicatum* accipi in bonam partem; aut *gentes* eas esse fideles Christianos. Contra quàm aperitissimè *Pf. 2.* undè petuntur, arguit. Indignius habet Jesuita & hunc locum, & *cap. Apoc. 12.* quàm decuerit theologum, & acutum hominem. Confer. *D. Hoe h. n. 3. p. m. 283. & seqq. Ad.*

modum verò probabile est, hoc textu promitti Judicium quod
 quaritur *Sanctis*. Monet 1. *Subiectum* ὁ νικῶν καὶ Φυλάττων τὰ
 ἔργα αὐτοῦ εἰς τέλος, vincens & custodiens opera C. usque ad diem ejus;
 eoque verè sanctus & inculpabilis. 2. *Objectum* sunt gentes in-
 credulæ & infensæ Ecclesiæ. 3. *Potestas* rectoria cum interna, ar-
 guendi, convertendi, repellendi, tum externa, ea manu vindi-
 ce exequendi. Prius inchoatur in hâc vitâ; in parte & alterum.
 Sed maximè inciarefcet & perficietur in iudicio universali. Uti
 Christi imperium in tales porrigitur *ultra mortem* & agnosctur,
 in pantocrítico die: Sanctis autem his perinde communicatum
 iri, verè & efficaciter, licet *dependentem*, ὡς καὶ γὰρ εἰλεῖφα, sicut & ego
 accepi.

§. XXIV. Alia loca, ubi *vindicta* petitur, c. 6, 9, 10, 11. & *obtentâ*
celebratur c. 12, 17, 18. c. 15, 3, 4. c. 18, 20. *spem* & *eventum* à vini iudicii lo-
 quuntur; non item *humani Sanctorum*. Nec facilis est interpre-
 tatio textuum ex illo c. 2, 26. cum abundè satisfiat stando intra
 terminum istum.

§. XXV. Excellit g. & *Apocalypticus Primus*, ut interpret Pauli
 eximius in *I. ad Cor. VI.* & hic ipse quàm propriissimè intelligi
 debet. Nam adhibetur 1. *contentioni* & *cognitioni forensi*. Ejus *omissio*
 urgetur per statum contendendum parem imò potiorem, fore,
 ut ipsi agant iudices, in reos longe & numero & dignitate præci-
 puos, nempe omnes Homines & Angelos malos. Quæ ratio
 parum strictura, & Apostoli fidem subversura sit, comperto, *im-*
proprio nominis usu velut ludi. *Vis* autem *elenchi* acerrima est:
 aut non estis sancti, nec iudices tam præcelsi futuri, sed pars
 mundi & reorum damnandorum eritis, si tam absurdè conten-
 deritis; aut contentione tali absistetis. Illud displicet; ergò pla-
 ceat posterius, moresque corrigantur. Nec 2. Pauli *ingenio sti-*
loque elenchtico congruunt *simulacra rerum dubia*. Nec 3. *necessitate*
 sui heic militârint, cum Christianorum status & fortuna causas
 satis graves præbeant, undè demoneantur. Certè 4. cum *fide-*
lium autoritas porrigitur in totum genus hominum incredulo-
 rum, ac Angelorum myriades, quibus antea tam impares statu
 videbantur. Eoque indignitas alius incepti patefit, malle nempe
 inter

inter partes & reos sub rostris stare, triste decretum excipere & pati, quàm servare suum decus & spem potentiaæ cæteroquin, perituram. Quando vel ethnici tale quid averfati, ut Scipio Africanus majoris animi erat quàm ut se reum fieri & produci fineret, apud *Liv. & Plutarch.*

§. XXVI. Licet verò *inopia textuum parallelorum* in V. & N. T. arguatur; contra tamen valet 1. quòd doctrina & fata piorum plura solum *unà vice* expressa legantur, & obtineant. 2. Quòd negotii ductus, in decantato tantoperè statu melioris vitæ, eodem invitet, parte solatii gloriaq; insigni, si conregnemus qui compassi eramus. Regni autem pars non ultima est, in hostem victum dominari, vindicare, idq; non potentiaæ fortunæ filia mactos, sed jure concessio & immutabili; ut Dominus *Psal. 2.* repetit. *Ebr. 1, 53.* ipse qui d. *Apoc. 2.* Pios, in consortium tam mirandum adsciscit; à quo longè abfore omnes Angelos novimus per d. *Ebr. 1, 13, 14.* Undè Paulina illa *epanorthosis*, tam intente & velut notissimi negotii, exercita, evicerit: *Judicium SS. de Mundo & Angelis in fine seculi, verum ac propriè dictum existurum esse.*

CAPUT III.

DE JUDICII SS. IN F. M.
CONSTITUTIONE.

§. XXVII.

Judicium hoc ut novum, & à Deo O. M. ordinatum est, sic integram cognitionem præbet, magis quàm Pedaneum, ut legitima controversæ causæ tractatio, coram Judice competente instituta, ut ejus sententiâ lis terminetur, ac reus pro meritò absolvatur aut damnetur. Ut Aristoteli est juris & injuriæ dijudicatio *Eth. V, 10.* Eopse Partes constitutivæ jam occurrunt, I. PERSONÆ, Principales, Actor, Reus, Judex, & *Secundaria*, Advocati, Procuratores, Executores, II. CAUSSA, III. FORMA s. Procedendi Modus, IV. FINIS & Eventus.

C 3

§. XXIX.

22 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

§. XXIII. Ac I. Inter *Personas*, *ἀνοχνα* Judicis qui gerit, is appellatur *Sanctus*. Sancti enim judicabunt Mundum & Angelos. Nempè *homines* 1. *Corporibus pristinis præditi*, & à mortalitatis miseriam liberati, stantes in vestibulo felicitatis plenæ, *Comprehensores* & *Beati* laudantur. Tales agnoscamus 2. *Præmortuos Patriarchas*, *Prophetas*, *Apostolos*, ac omnem piorum cætum pari sorte compositum. 3. *Superstites* in fine mundi, jamque immutatos ad usum gloriæ promissæ. Conf. *Nostra Dissert. de h. r.* 4. *Prærogativa* quorundam in hoc tribunali, celebrata in sacris, non arcet quenquam fidelium, sed ostendit rationem servandæ ad ultimum fidei.

§. XXIX. Utrum jam Sancti ceu *Pedanei* dentur, an Christi velut *Prætorium* tribunal eatenus obtineant, quæ *judicium* elogium rectè ferunt, ambiguum habetur. Sanè, cum ipsis non tantum *judicandi*, sed & *decreta exequendi* & *perdendi* potestas tribuatur *Apoc. 2, 26. seq.* in ita comparatione ad ipsum *Dominii* jus & processum, minus quam pro re dici rearis, si solum in Christo ut capite talia perpetrari dicantur. Nec Apostoli ratiocinium *comparativum* in textu sibi constet, nisi terminis comparationis utrinque acceptis proprio sensu. Pauli omninò argumentum consistere existimat *Crellius Socin. h.* cum ipsum *Judicium*, quod Christiani per Christum, caput regemque suum exercent, summam dignitatem & quodammodo etiam in *judiciariam* potestate sitam contineat; Nedum ut talis idoneè arbitretur terrenas. Quæ sententia ut non incommoda videbitur, sic, re ad serium ductâ, *proprietas* sanctorum *judicii* vel hinc colligatur. *Communio* Sanctorum cum Christo formaliter infert identitatem *Actionum* & *Passionum* utriusque. Unum enim idemque sunt hi & ipse corpus morale & mysticum. Cujus *principium* & *vinculum* præcipuè in assumptione humanitatis illâ agnoscitur. *Proximum*, ad *οἰκονομίαν* tam gratiosam, est Dei O. M. provisio in Boni & Præmiorum consortio. Ac, si *Pœnarum* saltem ut *Malorum* sensus in eos citra injuriam manare dicitur, qui *societate* coaluerunt; quanto probabilius in *beneficiis* & *gratiosis* hoc obtinuerit? *Functiones* indè *perfectivæ*

Ætiva, & maximè veracitatis & Retributionis Divinæ documento exercendæ, quo facultas hæc Judicii pertinet, ex naturâ rei competunt simul in Fidelium cætum omnem.

§. XXX. Ut enim omne iudicium in homines & Angelos datum est Christo, *quia Filius Hominis est*, sic ipse beneficio ejus unionis, adsciscet suos in consortium tantæ potestatis, ut pateat quanta sit dignitas hominis *Psal. IIX. quodve pretium huic capiti adhæsisse.* Itaque reverà iudicamus nos, quorum *Dux & Rector* iudicat; ac oratio est *propria, nos ipsos tunc iudicare.* Præsertim cum ipse *Status Partium*, Piorum & Impiorum, contrapositum tam aperto hoc ostendat, & *Fori* illius species ferat præ se, ut clementer adsciti, Domino circumfundamur, ceu *Assessores Judici*, cujus ore singuli loqui, cujus imperio unusquisque exequi destinata rectè dicuntur. Vita quidem humana idem toto die docet. Hostem consilio, vi superâsse, pacem, bellum iniisse, ac nihil non negotii publici conari prædicamur, cum *nostrum* Magistratus, Parentes, & *πρόεδρος* ulli cepere. Ut in rebus *nostram* urbem, domum, fundum, supellectilem, jumenta *nostra* vocamus, quando *cum eo sumus*, *facimusve*, ad quem dominium, nedum proprietas & participatio *commodi* proximè pertinet. Nec obscurum est quàm arto nexu Christo ut conditori, ut servatori, ut regi adstringamur. Ipse sensus tanti boni ad singulos è divinâ destinatione pervenit, ac sperantibus fortuna tam exoptabilis indulgetur. Nil igitur obstat vox & opera Domini velut *vicaria*; imò magis hæc implet & vincit jus, officium & operam nostram in iudicio illo, quod nonnulli *improprium* vocabant, eò quia *singuli* non pronunciamus. Sicut non excluduntur ab usu ejus potestatis, quorum mentio diserta non fit. e. c.; *Adami*, qui solus erat Dei *Luc. 3, 38. majorque cunctis viventibus Syr. 49, 19.* forte ob notam lapsus tristem, quæ iudicio huic præbuit causam.

§. XXXI. *Quis* porrò *Status Judicum* futurus sit, descriptio Christi pro tribunali sessuri, subindicat. In occursum angelicâ succollatione placidè levati cingent Domino latus; ordine & specie, quantum Aureolæ variant; ut *Dan. 12, 3.* monemur;

Unde

Unde & *Feminarum* decus eminebit, quales prædicat Scriptura Mariam *Exod. 15.* Deboram *Jud. 4, 5.* Priscillam *Actor. 18.* ne *θεοτόκον* gloriosam seorsim nominemus, istas longè anteuras plerasque Reginarum in seculo, quæ ipsæ salutem nactæ tum fuerint. Ac suo nisuræ bono sint Principes, cum in hac vitâ operam Deo gratam navârint; ne infra pedissequas ibi locum accipiant. Ut lusu non inani Italus Boccacinius in *Rel. è Parnass.* Venetiarum Ducem Venierium Præcedentiam (ut barbarè loquamur) prætendisse contra omnes natos Principes, ac judicio Apollinis tenuisse figurat. *Non sapientes, non potentes secundum carnem, non nobiles, sed stulta, infirma, ignobilia mundo elegit 1. Cor. 1, 26, 27, 28. hos qui ex Deo geniti crediderunt, Filiique ejus evaserunt Joh. 1, 12, 13.*

§. XXXII. *Angelos* vicissim beatos compotes fore ejus fortunæ judiciaræ, non apparet. Ministerii gloriam vindicabunt sibi. Nec 1. *Sanctitas* *Dent. 32, 2. Dan. 8, 13. Zach. 14, 5. Judæ Epist. v. 14.* 2. nota *Sanctorum Dei* *Job. 15, 15. Christi 1. Thess 3, 13. 2. Thess. 1, 7.* angelis tribui visa, plus largitur: *Specifica est & separativa comitatus divini; non officiarum & reduplicativa.* Hoc etiam nolis assertum ire 3. è *prædicato*, quo venire dicuntur cum Domino suo ad iudicium. Id enim refertur ad *Dominum Judicaturum*, cujus species adventûs ostentatur comitatu magnifico, ad terrorem fontium, confirmationem miserorum, uti sit *Elisæo 2. Reg. 6, 15, 16.* ad ministracionem instituti. 4. Nec *Principatus* Angelicus in certas mundi partes *Dan. 10, 20, 21.* quid tale reservat. Sanè qualiscunque is fuerit, desinet cum mundo occidente, si tamen tam diuturnus fore præsumatur. Nam Propheta œconomiam *peculiarem* patrocinii provincialis, ob Israëlitis restitutionem, designat: cujus extensio ad istam, de quâ loquimur, *prærogativam* conjectu difficilius est. Quamvis item autoritas & numerus *Dd. Præsidatum* valem ut *perpetuum* laudent; è dictis tamen nondum liquet, sed probabilitas multa.

§. XXXIII. Num & *Animæ separata* escensuræ sint in hoc fastigium, frustra quæritur. Mundi enim conspicui exitium est terminus, intra quem Dominus tribunal eriget: ac resurrectione

CONSTITUTIONE.

25

Turrectio univerforum, ceu partium ac materiæ circa quam Judex versabitur, antecedit. Tantisper vindictæ solatium quod captant, comperendinatur d. *Apoc. 6, 9, 10, 11.* Idque tam addictè, ut sub *altari*, qui thronus Christi est, nec ament nec possint progredi uspiam & denunciare superstitibus quid olim se futurum sit, contra quàm Latina Ecclesia sero errore eatenus processit. Prædici à morituris & atrociam iniquè passis, iudicium de hostibus, ac prædicto respondere eventum, die modove ipso, ut communiter *de provocatione in vallem Josaphati* observatur, nil dum infert. Est illa in jus vocatio *superstitum*, non iudicatio spiritûs à corpore secreti.

§. XXXIV. *Sanctitatis* porrò elogium est *formale*, à quo iudicium Personis certis tributum pendet ac producit. Ac operosè Crellius Socinianus *Eth. Christian. l. 2. c. 4.* Titulum eum absolute, de complexu omnium virtutum Christianarum ad mores pertinentium, declarat, *habitus agendi secundum præcepta* (quæ *legali sensu novaturiens* accipit) *Christi*. Sit omnino, (ut *Ebræum Cherem*) cum *segregatio* rei à *vulgaribus* ac *impuris*, tum *conjectio* & *appropriatio* ad Deum, ceu *consecrati*, ne deinceps possit adhiberi usibus promiscuis & consuetis. Sic Deus Israëlitas legitur *è medio gentium sibi adscire in peculium*. Cujus studii effectus proprius sit *obedientia* 1. *Petr. 1, 1.* *cultus* piorum *rationabilis*, velut *hostiarum* Deo *oblatarum* *Rom. 12, 1.* *Innocentia*, *Perfectio*, *Integritas*, & *synecdochâ speciei*, *Pietas*, *Iustitia*, nempe *Universalis*. Cui opponitur *Injustitia* sive *Iniquitas*, *admixta*, *avocata*, per Apostolum in textu, cum *ἀγνοί* occurrunt *ἀδμοίς*, nempe gentilibus, voluntatis divinæ ignaris juxta & incuriosis, promptis simul ad prava incepta, ubi *lucrum* aliave spes vocet.

Nomen a. hoc in Sacris *commune* fit Pauli auditorio, & Beatis illis cum, per statum Christianismi in Ecclesiâ militante, i. *segregentur* à profanâ turbâ *Exod. 23, 21.* unde cum addito, *Sancti Christi* vocari audiuntur; 2. imputetur ipsis *Sanctitas Christi*; 3. & inchoetur in hac vitâ à momento regenerationis; 4. perficiatur in resurrectione & immutatione *superstitum*. Loca relege cum *Ravanell. p. 37. Bibl. Select. Flacio Cl. Botfacco Moral. h. v.*

D

Ea

Ea mens Stephanum Curcellæum Arminianum *Inst. l. 7. c. 1.* ducit. Qui, dicto *n. 1.* Officium hominis ad præcepta Christi esse *Sanctitatem*, & eam vi præcepti necessariam *n. 2.* bono proximi *n. 3.* ac sine periculo nostro non de fore *n. 4.* Contrariam ipsi pronunciat cum prædestinationem absolutam *n. 6* tum imputationem Sanctitatis Christi. Et hoc nomine taxat Lutherum merito operum infensum, nescimus quæ non mala derivare conatus ex ejus doctrinâ *n. 7. & seqq.* Quo zelo tamen Stephanus rectè superfedisset, inspecto quid Ecclesia Lutherana tradat de *Tertio Usu Legis, & Operibus Renatorum*, in *Aug. Conf. ar. V. Form. Conc. ar. VI. & apud Chemnit. LL. CC. P. II. p. m. 29. & seqq.*

Sanctos igitur universè dicimus cùm Paulo *h.* vocatos, renatos. & pro termini intenti ratione qui est iudicium de mundo, perseverantes ad finem, autore Spiritu S. cujus ope operâque vocantur per Verbum in S. Scripturâ revelatum, & regnuntur Sacramento fide accepto, gratiâ Dei in Christo absolvuntur reatu culpæ & pœnæ; pergunt in renovatione animi & vitæ, ad exemplum præscriptumve Domini; simulque sumti salutantur *Ecclesia Sanctorum*. Cujus indolem simpliciter delineat Lutherus *Catech. Maj. ar. 3. Symboli*. Unde D. G. Calixtus corrigit sententiam de *Sanctitate Nivitarum & Regina Austri*, ut *iudicium Matth. 12, 41.* Nisi tamen pro conversis & salvatis habendi; quod de Arabisâ svadet textus *2. Chron. c. 9, 8.* similis Jethronis elogio *Ex. 18, 10, 11.* Contra quàm *Papismus* effigurat Sanctos è professione externâ; *Reformatismus* plurimum è selectu illo Decretorio, quem non possint non consequi media *Τηλειώσεως*. Sed isti fatissit in *A. C. & Apolog. ar. 7. 4. 5. 8.* huic *F. C. ar. 11.* Undè sponte patet Principium, cui *effectivo* Sanctitas laudata feratur accepta: *Auxilia nempe Gratia Prævenientis, Vocantis, Convertentis, Justificantis, Sanctificantis & Conservantis ad finem.*

§. XXXV. Vicissim *Non-Sancti, Injusti*, quorum iudicium *v. 1.* malè expetatur, fuerint primò Ethnici non conversi ad Christum; quos *Ephes. 3, 11, 12.* eleganter comparat Paulus pro statu, ut *ἀπόλιδας*, in meliorem verso ceu *πολίτας* effectos *v. 13 - 22.* Porro Contemptores gratiæ sanctificantis, quales Judæi *2. Cor. 3, 14.*

c. 4, 4. habentur. & quotquot in mundo mundum non exuerunt, ut *Rom. 2, 12.* partem sine lege perituros, partem ex lege damnabiles ostendit. Adeo ἀνομοί quilibet, e.c. dememores sanctificationis pristinae, ac relapsi in cœnum animi & moris profani *1. Petr. 1, 14. c. 4, 3.* maximè præfracto in veritatem perspectam odio *Ebr. 6. § 11.*

§. XXXVI. *Subiectum* Judicii, s. Rei Sanctis Dei responsuri, vocantur *Mundus & Angeli.* At 1. *Mundus* complexu ἀδίκων & ἀνόμων impœnitentium insignis, non dicentur omnes in orbe hoc viventes, ut aberrat *Crellius h.* sic enim Sancti seipsos iudicaturi sint; nisi universalitatis nota capiatur accommodè. Sed is qui totus in malum provolvitur, extra muros civitatis sanctæ vagatur *Apoc. ult.* & in tenebras abyssi præceps ibit. De quo & Dominus *Joh. 15. c. 16, v. 8-11.* loquitur & *e. 17, 6, 14. c. 18, 19, 20.* Planè quotquot vel nunquam, vel ad tempus credidère, *Improbi, Relapsi, Apostate, Tepidi cuncti.*

§. XXXVII. 2. *Angeli*, ac sine Articulo, dicuntur *h.* Spiritus, inter homines Deumque medii, hi solùm qui suam originem non servarunt; eoque catenis tenebrarum compediti, sepositi sunt è decreto ad supplicium *2. Petr. 2, 4.* Genus hoc s. totum pro specie & parte videmus indefinitè poni, respectu naturæ & officii communis Mentium purarum à materiâ. Id enim exaggerat statum sanctorum sive fidelium, cum superioris naturæ censuram vindicare sibi possint.

§. XXXVIII. *Bonos a.* Angelos huc tractum iri, ut referant honores majores velut præmium præstiti sanctis officii, *Grotio h.* nemo facilè assenserit. Habent jam quo plenissimè fruuntur & acquiescunt. Missos omnes in ministerium eorum qui hereditatem salutis accepturi sint *Ebr. 1, 14.* liquet. Undè tanta præsumptio jam olim prolicuit ingenia ad affectandum pro imperio spirituum bonorum & malorum usum licentiosum. Sed locus ille ad *Ebræos, omnes angelos &c.* completitur exclusivâ sessionis ad Dei dextram Christo homini tributam *v. 13.* Aliundè autem constat, non omnes, sed bonos, eo ministerio fungi. Nisi functionis debitum, in primigenâ eorum crea-

tionem intentum, respici dicatur; quod verò non tribuit nobis jus pro libitu adstringendi spiritus tam eminentes, ultra quàm Deus copiam talium destinasse bono hominum legitur. Unde præcepta andacia noscitur in Romanis Episcopis, qui jubere, vetare; in *Canone Indulgentiario pro defunctis*, leguntur Angelis. Nec non perperam conjicit Grotius istud, captantque reliqui non concessa. Pro communione Idictionis dictæ nil facit quia sint *conservi & consortes bonorum Dei*. Sed nec pares sunt eo confortio per *d. Ebr. 1.* & non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in alteram partem declinando, per Augustinum *l. 2. c. ult. de Pecc. Mer. & Remiss.*

§. XXXIX. Aliàs improbable non est, Bonis Angelis in malos, ut conservos rebelles, forte & in sese injurios, satiem vindictæ præbitum iri, ex ipso Sanctorum in tales processu. Uti hodiernum in acie & præsidio sunt contra reproborum vim & dolos. Sed de judicii usu in ipsos nondum constat.

§. XL. Judice Reoque comparituro, Actor forte desiderabitur; cum judex nisi imploratus non dicat jus: nec, si Sancti per Dæmonas ac impios meminerint sese læsos, & ideò querantur, judices ipsi agere ac in rem suam autores esse possint. Cui non quod vulgò solet reponemus, perperam exigi hoc forum ad humanæ rationis & vitæ indolem. Planè quidem humano more processum iri, ipsa judicii, Christo ut hominibus conspicuo omnibus futuro dati, constitutio demonstrat. Verùm natura rei ita fert, cum Judicium hoc 1. *Processu Executivo* terminetur, 2. In Reos jam convictos & confessos. *Vid. w. l. 42. tit. 2. & Extra. de Confessis.* 3. Ob Crimina notoria, quorum reatu jamdum cesserunt plerique morte temporali; ac superstites & hac & graviore se dignos agnoscunt. Ut *Sap. 5.* ad vivum effigurantur. Non crediderant in nomen filii Dei, ergò eopse sunt prædamnati *Joh. 3, 18.* lucis odio tenebris debiti *v. 19.* 4. Præsertim *Majestatis divine reatu* aperto: Ubi Actoris vicem *Judicis officium* supplet, & accusat quisque de populo, velut pestes humani generis. Crimina ergò notoria & confessata suspicionem à judice excludunt, *Carpzov. Crim. Prax. P. 3, q. 104. q. 7. Respons. l. 6. R. 97.*

CONSTITUTIONE.

29

R. 97. Notabilis verò est species quâ Christus ipse *Matth. 25, 34-45.* uti legitur. Intentatur protenus sententia, *v. 34.* & ratio adjicitur *v. 35, 36.* Cum impiis eadem intonat, *v. 41.* causaque subnectitur *v. 42, 43.* hique ignorantiam incuriæ suæ ostendunt, mox pravam hanc & dolosam ostendit *v. 45.* ut hiscere amplius non possint. En ut sistitur reus, culpa specificatur, responsio admittitur, ac insufficientiæ arguitur, undè obmutescens sententia, ejusque *v. 46.* executio ingruit. Hæc adversus eos qui legem norant *Rom. 2, 12.* *Joh. 15, 22, 24.* & ob omissionis peccata. Unde manifestius ad commissorum conscientiam & supplicium ibitur. Qui sine lege fuisse dicuntur *d. Rom. 2, 12.* & grassati in pios sunt *Apoc. 6, 10.* arguuntur & notitiâ rationali *d. Rom. 1.* contra quàm detinuerunt veritatem in injustitia *v. 18-24.* & mutârunt in falsitatem *v. 25-32.* cogitationibus ultro incusantibus *c. 2, 1. 15.* & occultis cordis judicio obnoxii *v. 16.* Id quod humani judicii debilitas non potest, & in melius præsumit, præsertim ad internos motus animi, è lege, *Cogitationis penam neminem pati.* Cum verò Sancti potestate judiciariâ polleere dicantur; eapse imitatur Christi Præsidis jus & processum in arguendo.

§. XLI. CAUSSA in hoc judicium deducenda non videtur exprimi à Paulo. Collata verò *h. c. incepta odiosa,* & liti judiciove præbitura ansam, satis advertunt nos. Generatim notatur *περάγμα πρὸς ἕτερον ἐχόμενον, negotium cum altero intercedens.* Est quidem *περάττειν, agere,* & *περάγμα, opus, facinus,* in bonis: ut *περάξις à ποιήσει* distincta, tanquam operatio *perfectiva de se,* ab aliò in opus extans per se directa, apud Platon. Mox *περάγμα* fit *κακόφωνον, malum nomen, c. c. h. l.* Cui verò seu parallela *Act. 15, 6. c. 19, 38.* Ravanellus *Biblioth. h. v. P. II. p. 140. n. a. n. VI.* perperam allegasse videtur. Aristoteles *Rehet. 1. c. 12. n. 1. de Injuriis,* τὸ πέραγμα πρᾶξις δύνατον ὀνομαζόμενος, καὶ ἑαυτοῖς δύνατον notat: *Ac n. 2. λαβεῖν πρᾶξαντες &c.* Id autem est *πρὸς ἕτερον,* utpote inter plures; tanquam *contra adversarium;* cuius *περάγμα* sive *motus, inceptio,* alterum præter jus male habuerit, puta, negato quod debeat, aut illato quo

D 3

absti-



30 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI
 abstinere oportuerit. S. Jacobo c. 3. v. 16. dicitur cum addito, *Φαῦλον, pravum*: quem textum Lutherus optimè sensu collectivo: *Titel böse Ding*; sive ein ganz verwerfflicher / schädlicher / straffbarer Zustand / ut continens actionum vitæ perversitas. In *V. T.* dicitur *כִּבְרָה* *verbum* sive *res, causa*, ut materia verborum, eaque contentiosa. Ut *λόγος Act. 15, 6.* appellatur. Et *Ex. 18, 16.* Moses pro tribunali sedet, inter cives, *cum fuerit eis verbum*, ut judicet inter virum & socium ejus. Apostolus idem specificat per *τὰ βιωτικά* sive ea *qua communem vitam concernunt & quotidie incidunt*; ac homines, in usu & commercio talium, *ἀδικεῖν καὶ ἀποσερῆν*, *injuriam & fraudem committere invicem v. 7, 8.* notantur. Qui modus agendi in istis rebus *v. 10.* importat *ὑπήματα καὶ ἀποσερήματα*, *detractiones & noxias*, tanti in genere moris momenti, ut mereantur accenseri criminibus & omnium consensu detestandis; uti sunt *scortatio, idololatria, adulterium, mollicies, mastrupatio, furtum, avaritia, ebriositas, contumeliositas, rapacitas*; quorum reos complexu *i. ἀδικῶν, injustorum æquatos, 2. ratione pœne, negat possessuros regnum Dei.* Hæc dicta nil abeunt à censurâ rationali, quâ Philosophi incepta indigitata *Injustitiæ* damnârunt: ut Aristoteles *c. l. c. 10, 11, 12, 13.* Operosè declarat e causis impulsivis, objectis, generibus facinorum, & sic dicta *ἀδικήματα* opponit *δικαιώμασι.* Quo nunc referatur tota acies *Delictorum & Criminum, totve cause Actionum Civilium*, in Judaico, Romano aliove jure percensitæ. Unde nec *rigoris & insolentia* licet arguere Sanctos, si *verba otiosa* ad suum tribunal protrahunt, quandò Verborum vel leves injuriæ in foro humano tam rigidè vindicantur: præsertim ubi *Superiorum* dignitas minui visa fuit; eoque vel retorquentur vel judicis iræ vindici traduntur. Nempe, pro eo ac mutua cognoscendi & obligandi vis inter agentia cum intellectu porrigitur, Forum ipsis patefit. Quod inter mortales pro ignoto dicitur, apud istos utrobique in luce clarissimâ eminet *Psalm. 90, 8.* Culpæ penes nos *levissima* nota, intuitu *Partium* merito induit *rationem Doli.* Casus qui nunc appellatur, & *fortuna*, æquat motus *maleficos* propositi ac voluntatis directæ: eò quia præcessit

præcessit *notitia idonea* agendi cessandique; ac *defectus notitiae* imputatur incepto unde non potuit ultra consuli ignorantiae exitiosa. Inde quoque fit ne *Inadvertentia* excuset, nec *titubatio* officio implendo inferior.

Hæc summam animadversa monent, *Quenam causa ac negotia* *Judicio SS. obversentur?* Nam per ea quorum cognitio divinitus urgetur in Sacris & intentatur, 1. *Malè tentata in Sanctos* aut *negata ipsis præter fas*, horundem censuram subibunt. Pars vindictæ & solatii præcipua est, plectere hostem decreto nostro, duci jubere. Is typus cit. *Apocal. c. 6, 10.* editur *desiderii laforum*, Conf. Cyprianum *Serm. 3. de Bono Patient. circ. fin.* saltem ut expectetur forti patientiâ dies ultionis futuræ. Quicum minus commode videtur componi locus *Andreas Cæsariensis ap. B. Cluver. Diluc. Apocal. p. 250.* ubi saltem *συντέλεια τῆς κόσμου* sui que *τελείωσις* expetitur. Eventus autem spei *c. 20, 4.* patescit. Nec obstat dubium *de Mille Annis*, sufficit enim *datam* esse his SS. *judicium.* *Babylonis eversa nuncius Apoc. c. 18.* vox cœlica SS. *affata v. 4. 6.* incitat eodem: *Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum secundum opera ejus; in poculo quod propinavit propinate ei duplum.* Quod jus ut talionem tribuit, ac rectè deferatur læsis, non est cur in alios *judices* rejiciatur.

2. Porro, an & *in alios commissa* expectent hos *judices*, non ambigas; cum *Sanctorum communitio* infide, in *charitate & gloria*, idem infinet. Membra sollicita sunt alia pro aliis. Si patitur unum, compatiuntur omnia. Sive honore afficitur unum, congratulantur omnia *membra 1. Cor. 13, 25, 26.* Ubi Paulus notabiliter contrahit singulos in unum corpus Christi *v. 27.* ac eâ *συναρρώσεις* morali evidenter docet, *actiones & passiones* ejus generis tribui supposito toti *conf. Ephes. 3, 4.* Ut igitur *Sanctos simul* liberatum & in tribunal evectum, indereos omnes eodem simul in conspectum datum iri scimus: sic & *cognitionem de delictis* impiorum quibusvis, communem cunctis fore consentaneum fit.

3. Obscurius non habebitur, *An & in Deum Christumve* *rectè perpetrata*, *Sanctorum decreto* subjicienda sint? En, ut *Salvator*

vator

32 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI

vator sibi bene vel malefacta pronunciat, quæ minimo fratrum, quos prædicat Sanctos, acciderint *Matth. 25, 40, 45*. Quidni hos vicissim eo & sensu & studio & officio ductum iri existimetur? Quod quidem affectentur & Angeli & Sancti Christum Judicem, approbent ejus sententiam, letentur de successu in punitos, copiosè perscribitur *Apoc. 16, 6, 7. c. 19, 1, 2*. Eoque nomine non abhorret ceu notavimus, ut nomen *Judicum* ferant, communione tam artâ cum capite. Ceu usu venit in omni societate, ut vindicetur totè hoc quod à principali peragitur. Quanto magis jure filiationis tantoperè laudato, quo SS. prolixè deferuntur τὰ ἕξοχα Patris & filii *Rom. 8*.

§. XLII. NORMA *Judicandi* five Lex, applicanda factis, datur multiplex. Ac I. *Liber* five *Dictamen Naturæ creatæ*, quæ *ab usum sui*, pristinæ & jam obviæ memoriæ fontium præsentissimum, in clamat & demonstrat quid mereantur temeratores ordinis divinitus præscripti *Rom. 1, 19, 20, 21*.

II. *Liber Conscientiæ*, quâ icti serò agnoscunt quàm indignè læserint innocentes; & quidnam vice debitâ mereantur *Sap. 5, 1, 2, 3*.

III. *Liber operum Gratiæ Dei*, cum ministrantis tum sanctificantis, quâ unicuique præbuit argumenta rectè sapiendi, vivendique & charitatem tuendi *Rom. 1, 24*.

IV. *Liber Scripturæ Sacræ*, ut Moses Judæos damnaturus; & Verbum Christi quod locutus erat. Ne quicquam obtentus ignorantia talium relinquatur inexcusabilibus *Job. 15, 22*.

V. *Liber Legum Humanarum*. Ordinatio enim Dei est quod Magistratus ritè sancit *Rom. 13*. indeque rebellibus condemnatio imminet *v. 3*. ac directò obligat in conscientiâ, ne lædas, ne gesve ulli suum, sub reatu pœnæ *v. 5*.

VI. *Liber Pactorum conventorum* & juris singularis invicem quæsi. Hæc omninò in humano judicio, salvo tertii jure, proximam decidendi rationem tribuunt: nedum ut in isto sanctorum foro rectè urgeantur.

§. XLIII. *Locus* & Tribunal *Judicum* horum & Reorum non minus variis studiis subjacet. 1. *Mundus* certè *visibilis* & *præ-*
sens

fens ut Dicasterium istud, Novissimorum tenor indicat ac requirit. *In ejus Fine, non finito ipso, judicabitur; & de ipso, cujus* *σεαυπος, suspirium angore pro sui liberatione, non alibi certius* *conquieverit. Reservatur cœlum & terra præsens igni, in diem damnationis & exitii impiorum hominum II, Petr. III, 7. Diem hunc dein* *sequitur solutio corporum v. 10.*

2. De regione parteve mundi, Tellur', an Mare, Aerve sustentuculum præbitura sint Theatrum fori tanti? responsio proba est, *Christi sedem fore communem sanctis. Veniet is in cœli nubibus, & in his conspicuus hominibus eminebit. Rapiuntur verò SS. in aërem, occursuri & latus ipsius cincturi. Placet imprimis hemisphærium ubi natus, visus, crucifixus, undè assumptus est. An igitur Terra S. & vallis Josaphat sic dictæ usus eximius sit futurus, non dubites. Hominibus tanto numero judicandis satis spatii dabitur ubi consistant, undè cernant, audiantve quicquid pro tribunali agetur. Noli inaequalem terræ faciem caussari; cum solem & sidera suspicimus tam è dissitis locis, res monet, cœli convexitatem immodicam angustias infernas facile supplere. Nec tricare, de superficie terrena defectu ad tot myriadam cætum, si longitudo & latitudo continentis comparetur: nec verò miraculo locus est ac si tun clatiùs sese porrectura sit facies telluris. Ut enim vel univ ersa hæc, commensurata corporibus humanis, coactis à primâ origine ad mundi finem, in concionem unam & contiguam, minor appareat futura; præstò vicissim est mare circumfluum, quod pari firmitate sustinuerit vestigia ac in transitu Israël constituisse parietis instar legitur. Imò adverte *Thronum Judicis magnum*, ultra quàm terra videri possit, in regione auræ æthereæ; & mortuos parvos & magnos stantes in Dei conspectu *Apoc. 20, 11, 12.* Quid impedit, elevatos omnes in aëre ceu theatro circumstituros: pios dextrâ, impios sinistrâ: Illos sententiâ judicis absolutos, confestim accingi Processui adversus fontes oppositos?*

3. De loco ubi *Angeli* judicentur, constat ex ipsâ communi-
nione fortunæ correorum. Ut sparsos partibus mundi variis, ceu

E

carce-

34 DE JUDIC. SS. IN FINE MUNDI
 carceribus discretis, pro eo ac gradibus & demeritis discernan-
 tur, asseramus cum Dæmonologis, qualis Rob. Fluddus An-
 glus portentosa imaginatione vagus in regno sub cœlesti, *Hi-
 stor. Cosmi Tr. 1. de Creaturis cœli Empyreï c. 4. & seqq.* nil juverit ;
 nedum ut istis regionibus deprehensi damnentur. Verius
 apparet, cum Homine quem corruerunt, in conspectum iri
 datum omnes, & sententiam subituros, ut *Matth. 25.* gratum
 maximè Bonis Geniis spectaculum, & Hominibus piis quos tam
 malè vexarant.

Nec quæramus anxie de sensu nostro, num Dæmones visui
 auditivæ futuri sint obnoxii. Pendet hoc à statu novæ per-
 fectionis, quâ Deum ipsum corporeis visibus tactum iri variè
 dubitatur. Certè si Judicium de his sit nostrum, nostram ut
 hominum per sensus cognitionem in objectum hoc satis evi-
 denter terminatum iri concedi oportet. Id quod longè adhuc
 probabilius est quàm affirmativa de Dei intuitu corporeo. In-
 finitas ejus adhuc vehementer obstat. Sed Angeli *comprehen-
 sio*, ut terminata, facilitatur elevatione Dei, præsertim si *specie
 umbratili* præsententur, ceu in sacris pluries usu venit. Quæ
οικονομία non repugnat ut Judicio sua indoles constet : sicut
 ipsius Domini *Προφάσεις* demonstrat.

§ XXXIV. *Tempus SS. Judicii* ostendit Titulus : in fine enim
 Mundi ipsam procedet. Undè Futuritio ejus determinatur ad
 imminentem *πανοληργίαν* universi. Hoc *Mundum* novimus,
 quem Deus initio per *εξαήμερον* condiderat *Genes. 1.* ac pulchri-
 tudine verâ mirabilem spes fuisset perpetuò duraturum. Sed
 Homines indigenæ, abusu ejus Mundi *κακοφώνος* appellatio-
 nem meriti, rei que statim, ceu antea notatum est, Finem ipsi
 attraxerunt. Is Finis non potest videri Mutatio accidentium,
 & sola defectuum redintegratio, quam hodiernum *πολλοί αγα-
 θοίτι* præcipiunt animis : verùm tam absoluta annihilatio ejus
 quàm verè è nihilo, verbo Dei omnipotentis, existere ceperat.
 Obruunt dubios oracula Sacra de Consummatione seculi tot,
 tamve luculenta *Dan. 9. 27. Matth. 13, 39 c. 24, 3. c. 28, 20. 1. Cor. 15, 24. 2. Petr. 3, 10. Apoc. 21, 1.* Ac rectè per D. Calovium *Locor. T. XII.*

Am. P.

Art. V. c. 1. qu. 1. arguitur novaturientis vanitatis Lightfoot in *Horis Ebraicis* ad *Job. 21, 22.* cum Petrinum hunc locum solis radiis scriptum, inversum it ad excidium urbis S. Cui correptus eodē abusu *Esaias c. 65, 17.* meritō obvertitur iudicio Judæorum. De quo negotio ut præcognito nil ultra tricari decet Hominem cordatum. Dies autem is erit ultimus Dierum seculi; mora tam protracta, donec Resurrectio, Immutatio & Iudicium universæ carnis absoluta fuerint. Acut Iudicium SS. in illo Fine procedet, sic prius non inchoabitur; nedum porrigetur in moras annorum ullas; à quibus diversus in deteriora status Sanctis aliquantisper obveniat. Nil tale novit S. Scriptura; nec fert ejus contemplatio præsumtionem idoneam, ad palatum hominum qui præposterâ imaginatione affectus suos immittunt tam exploratæ veritati; sibi aliisve ludibrium & periculum attracturi.

§, XXXV. Vana igitur videtur persuasio 1. Famosorum in Ecclesiâ *Chilistarum* s. Miliariorum quos Augustinus de *C. D. l. 20. c. 7.* vocari posse docet, de Regno Christi novo per annos mille, ante Mundi finem obtenturo, per dicta Scripturæ *Esai. Ezech. Apocal. & hujus præcipuè c. 20.* In Ecclesia ducem nacta est Papiam, cujus ingenium credulum & fabulare Eusebius *H. E. l. 3. c. ult. f. 39.* delineat: inde Hieronymus *L. de Scrip. Eccles. c. 18. Edit. Paris. T. I p. 279. ibid. Marian. Victor. & Gray.* simul redarguit *ἡ ἑσχατὴ* ejus ceu Judaicam; quicquid pro ipso viro cæteroquin sancto & martyre Irenæus, Justinus &c. contenderint: ut & Apollinarius, quem Epiphanius *Her. 77. fin.* excusat; sed Basilius M. *Epist. 74.* arguit. Tertulliani opinio *lib. de Spe Fidelium*, quem Hieronymus *c. l.* nominat hodiè perditum, non absimilis fuerit; *conf. l. 3. contr. Marcion. fin.* ut Lactantium *l. 7. Instit.* Licet providè discriminet Augustinus de *C. D. d. l. &c.* à Cerinthianis, Epicureismum meditatis & nomine Chilistarum infamibus; add. Gennadium *L. de Eccles. Dogmat. c. 55.* Recentiores ejus spei sectatores, post Theologos seniores, connotat B. D. Hoë *ad c. 20. Apoc.* ex Affelmanno, Calovius de *No. vissim. Art. IV. de Extr. Judic. c. 1. q. 3.* ac nominati *p. 160.* Quirini

Kuhlmanni *λύγες* pro Böhmiō suo. Sanè is Kuhlmannus cum primâ ætate in hac Salanâ studiis operam daret, animum versabat mirificè & poëtica & humanitatis argumentis, quæ nostræ censuræ oblata, cum *ἐκθασίω* portentosam loquebantur, tum ipse habitus & motus Juvenis minabatur longe aliena à solitâ morum viâ. Quæ in vultu verbisque indicia, sæpius fecerunt metum, heu nimis probatum eventu; Is ut in lætiores vertat (si tamen is adhuc vescitur aurâ æthereâ) perindè ac in Böhmiæ restitutione *c. l.* ostensâ, meritò desideramus.

Cæterum *caput hoc Apocal. XX.* ut commune receptaculum portentosarum opinionum, sic difficulter perducî posse visum est ad sensum evidentem. Non est hujus instituti ut recudatur argumentum à plurimis versatum: & quâ quisque interpretis parte defecerit. Nam & Augustini *d. c. 7.* explicationem in plerisque deserui oportuerit: sicut suam de mille annis, tanquam sabbati septimo millenario, abjecisse fatetur: licet rectius retenturus in parte, *de Resurrectione primâ*, quam deinde accipit de conversione spirituali fidelium: sine assensu potiorum. Nec erat Calvino *Inst. l. 3. cap. 25. s. 5.* ratio tam asperè invehendi in tales, qui ut maximè millenarii regnum de æternâ felicitate accipiant, numerus tamen is pro completo acceptus, nil minuit æternitatem vel Christi regni vel status beati. At i. hoc caput Revelationis *novæ* est complexus. 2. *Angelus v. 1.* nec Papa Romanus, nec Constantinus II. sed ille magni consilii, *c. 1.* descriptus. 3. *Captivatio Cacodæmonis v. 1, 2, 3.* per expolitionem variam ostensa, Coercitio Persecutionum hoc autore grassantium, per Gentes Ecclesiæ infensas. 4. *Anni Mille*, tempus Christianismi liberiùs, ac citra universalem persecutionem in mundo efflorentis, cujus initium à Christianis Regibus Constant. M. pacificatore. 5. *Judicium & regnum martyrum. 4. nem Resurrectio Prima est v. 4.* Beatitudo, nil obstante temporali adversitate obtingens, cui unicè intendendum *v. 5. 6. Mortui non reviviscentes, v. 5.* sunt impii, salutis planè exortes. 2. *Consummatio mille annorum est initium novæ persecutionis à Cacodæmone; non desitio*

fitio regni Sanctorum, quo nihilominus procedente, Ecclesia militans per Saracenos infestabitur, v. 7, 8, 9. Hanc calamitatem sistet *judicium supremum* v. 9 - 15. de quo haecenus egimus. Unde facile colligitur vanitas Regni Millenarii in hoc seculo captatum.

Sicut 2. *Judaei* cordatiores Messiae regnum non, ut alii, carnale ac vere *αἰώνιον*, sed fulgoris & praesentiae divinae fruitione Sanctis obventuram definiunt Conf. Buxtorf. Synag. c. 36. loca connotat G. Calixt. opere d. h. r. è Maimon. & Aben Esra p. 146.

At 3. *Gentiles prisci*, in statu hoc non voluptatem crassam, sed animi puriorem sibi proposuerunt, ut Epicurus ipse, conf. Diog. Laert. Senec. Gassend. de vita istius. Socrati contemplatio mentis purae spectata, apud Plato. in Phaedon. Aristot. Eth. 10. 8. conf. Augustin. de C. D. l. 8. c. 9. *Modernorum παρρησιολογία* nil praeter lacinias male futas melioris sententiae praeferre, collatio docuerit.

CAPUT IV.

DE JUDICII SS. IN F. M.
PROCESSU.

§. XLVI.

CAusae indoles suggerit quis *procedendi modus* recte obtineat: ut prudentiae summae est *Selectus expeditioris*. Ita species ejus velut *peracti* docet, *Executivum* fore. In quo *Substantialia*, nempe Citatio, Facti, Intentatio & Confessio, Sententia, ejus Executio, Loco & Tempore justo, observantur.

§. XLVII. Ac I. *Citatio* omnium mortalium, voce tubae angelicae intonare praedicatur *1. Cor. 15, 52.* Est igitur *Verbalis*; ac *Peremptoria*. Certè quum in pristina vitâ satis morarum indultum, *Prov. 1, 24-31. Ebr. 3, 12, 13, 14, 15.* jamq̃ res in expedito sit ut finiatur. *Comparendi* verò facultas & necessitas ipso elementorum obsequio juvatur, quae ceu fideles depositarii mortuos suos certatim exhibent *Apoc. 20. 13.* Ipsa causa simul proclamatur, animisq̃ in sonat: de factis omnibus decretum iri.

E 3

§. XLVIII, Ec

§. XLVIII. *Locus*, qui supra notabatur jam designatur; ut *Tempus*, *Finis* nempe *Mundi*. Is salutatur *Dies*, universalis *Judicio* statutus *Act. 17, 31. ultimus temporis Joh. 1, 24. c. 12, 48. ob Adjuncta, Dies ira Rom. 2, 25. magnus & terribilis Joel. 2, 31. Domini 1. Thes. 5, 2. Filii hominis Luc. 17, 24. Jესu Christi 1. Cor. 1, 8. judicii 2. Petr. 2, 9. & inverfis notionibus, Judicium magne diei Ep. Jud. v. 6. Mundum omnino, ut cepit, etiam desitutum, S. Scriptura passim indicat. Idan & ex rei natura, & quia creatum quid sit, aliam quaestionem patitur. *Constat aeterna positumq; lege est, omne quod genitum est mori*, canit *Boethius Consol. Philos. Constiterit sane experientia & revelatione Dei Ebr. 11, 3. Positum tamen solum est, non perspicuum rationi, in tempore vel ceptum vel desitutum. Unde Philosophi pro aeternitate mundi demonstratio militat. Parasse praesumitur Conditor, ut opus tam excellens in gloriam operantis semper duraret Genes. 1, 31. Lex igitur quam vocat aeternitatem sui accepit computatione inita ad decretum, consequens reatum mortalium qui corruerant viam suam Gen. 6, 11, 12. Eadem praevisionem casuum suggerit, mundum inter instrumenta & exempla temporaria potentiae & voluntatis divinae haberi. Haec tamen ut antecedens, intenderit mundum semper servari, e post facto ob mores hospitem iniquos, paradisum perdi Gen. 7, 20. & mundum omnem demum aboleri 2. Petr. 3, 7. eaque traditio ad gentiles didita nascitur. Vide quae *Ovidius Metam.* & alii *Priores* agnoverunt, ut indubium *Majoribus* eventum.**

§. LXVIII. Ceteroquin anxia & inexplicabilis quaestio est, quam longe dum finis talis absit? *Futuritia* indicatur a *Paulo b.* & alibi aliisve. Colliguntur momenta e *Scripturis*, & *Sibyllinis foliis*, *conf. 2. Thes. 2, 2. Apoc. passim: & signa in Communia & Propria digeruntur. At illa Matth. 24, 23, 24. 29. obvia, evenerunt. Propria, ut 1. Revelatio Antichristi 2. Thes. 2, 3. patuisse visa in Papatu Romano. Licet quaeratur adhuc an v. 8. Spiritus oris Domini absinturus sceleratum, coincidat cum adventu ejus illustri. Nec magis spiritus oris D. jam dum opus suum praestiterit, per Confessores, qualem Lutherum aliosq; scimus: continuetur autem vox illa usque ad Domini adventum.*

2. Per-

2. *Persecutiones* Ecclesie majores evenerunt, spiramentis quietis distinctæ.

3. *Babylonis*, quæ *Roma* dicitur, exitium *Apoc. 18.* ceptum per Confessores notos, novâ & graviore clade terminandum, censet D. G. Calixtus *l. de Extr. Jud.* Sanè floret adhuc *Roma*, ac ut *Bzovius* libro *d. b. r.* contendit, non infra pristinam fortunam, cujus æquilibrium non temerè inclinaveris, si potentiam æstimes spiritualem.

4. *Introitus plenitudinis gentium in Ecclesiam*, & *Judeorum plenior conversio Rom. 11, 2.* perinde expectari jubetur. De quo in tot *Dd.* dubio, locus *δυσνόητος* ut *S. Ambrosius Epist. 1, 2, 3, 16.* monet, obscurior est quàm ut rem tantam clarè asseramus. Et rationes *Negative* ut minus pervincant, suspendunt tamen justum assensum. Vid. *Gerhard. c. 1.* Ponamus igitur ista inter inexplicabilia Scripturæ, ac certis insistamus, memores *Paulini 1. Thes. 5, 1, 2.* De temporibus & momentis (*Christi adventuri*) non est necesse ut scribatur vobis, nempe piis. *Ipsi enim penitus scitis, diem illam Domini, ut fur noctu, ita venturum esse.* Collegerat utrumque genus signorum *Dominus Mar. 13.* & notato 1. principio doloris Ecclesie *v. 4-23.* 2. post afflictionem, lapsum siderum exlique *v. 24, 25.* 3. eventum judicii presentis *v. 26.* 4. cum hora ista sit definita, sed Deo soli nota, imperat singulis *pervigilium v. 32-37. Add. Luc. 21, 28, seqq.*

De mora diei executio negotii ipsa docebit: ut *Josua* vindictæ cupiens *c. 10.* solstitium obtinebat donec voto potitus esset. Ac vel humano judicio diem civilem non sole, sed *litis tractu* metimur, donec perorata sit.

§. XLIX. *Comparitio* eaque omnium gentium sequitur *Matth. 25, 31.* quas metonymiâ continentis *Tellurem* vocat *Paulus Act. 17, 31.* & discernit quantitate corporum *Apocalypsis c. 20, 12.* notâ universalitatis, ut ætatibus *Gen. 29, 4.* quo sine terra, mors, infernus, homines receptos dicitur exhibuisse *v. 13. d. 6. Apoc.*

§. L. At *Discretio* *comparentium* est notabilior, mox parte, qui boni, dextrosam, parte qui mali, sinistrosam locatis, quæ stationes non ut a *fratribus Zebedeis* ambitæ, pariter placue-

riat;

erint; cum *sinistra manus* triste omen appareat. Sed utrum *Domino palam imperante* & velut manu designante; an verò Angelis præmonitis theatrum sic formaturis, non liquet. Certè motum ac molem infinitæ turbæ non levem fore prospicias, ut protenus sejungantur! ad designata loca. Sed *multitudo angelorum* non minor, & celeris exequendi facultas, singulos protenus correptos momento ad conditum destituet. Aliàs enim non ita patuerit unicuivis, cui lateri cætuive sese applicet.

§. LI. *Propositio causæ* à Domino fiet, ut ipse pronunciat *d. Matth. 25.* ubi ex officio tam benè quàm male meritis factorum evidentiâ ostentatur. Provocatur autem, ut §. 41. dictum est, *ad Libros*; quos aperiri *Dan 7, 10.* & distingui legimus *Apoc. 20, 12.* in *libros memoriales*, s. *Actalitis, vite, & Scripturæ S.* Quàm hic sanè *scriptus* olim extitit, forte & tunc eâ specie apparebit: nec minus reliqui, ut oculis & conscientiis hominum sic argui & culpam meritumque tueri solitis, respondeatur. Quamvis communis *Dd.* explicatio stilum eum vertit in *Anthropopoeam*, & *per libros* Memoriam Dei, conscientiam fontium accipit. *Conf. Diss. nostr. de Nomine in cæl. script. Apertura* prius clausorum s. ignorari creditorum sit, confessata cuiusq; animo culpa meritumve. Est verò *liber Scripturæ*, Norma Judicii ad omnes, ut *Mosen* suaq; verba intentat Dominus *Joh. 15, 22.* Nec aberit *liber Conscientiæ* agendorum per dictamen Rationis, quæ ipsa Revelatio Dei prima est *Rom. 1, 19.* & *Naturæ*, sensum omnem tangentis *v. 20.* Addas licet *libros legum humanarum*, & quicquid pacto convenit. Magistratus ea est potestas, ut obsequium mereatur *Rom. 13.* & Charitatis regula, non faciendi negandive alteri, quod tibi fieri negariq; nolis. Accedere & *librum operum Gratiæ Justitiæ Dei* adversus singulos, ut rectè sapere, secum vivere, citra proximi injuriam, meminissent *Rom. 1, 2.* ante monitum fuit. Si nunc librorum talium mens & remorsus animi supplet vicem documentorum scriptorum *v. 15.* sanè non erit cur unusquisq; nominatim conveniatur & arguatur. Dominus quidem velut *convictos* uno agmine incusat & damnat. Et si quos *ante legem scriptam* vel cognitam peccasse monet Paulus

lus

lus c. l. ex infitâ cordi normâ agendi malè fervatâ, sese ipsos damnabunt d. l. v. 16.

§. LII. Initum verò iri lite negativè contestatâ nonnullum defendendi conatum *Matth. 25.* advertimus, ne officii neglectu premi videantur: è defectu *objecti*, nil tale, quod *omissum* crimini erat, sese potuisse. Annon eadem species ingerit operam, qua se minus teneri quis censeat? *Charitatis* enim exempla notantur, quæ præstari toties jubemur. Persuasio vulgò, sufficere, ne quem temerè ledas. Contra quod ingenium vel ethnicus *Sylla* commendatur in *Jugurth.* à *Salustio*, dum *Bocchi R.* legatos nullo merito insignes liberaliter haberet. Ac id observatu dignum est, gentiles, non Judæos, sed *Christum* professos induci, & pro eo, ac *confortes fidei* coluerint, referre vicem dici. Quamvis nec istis impunem fore errorè & iniquitatem morum satis docemur.

§. LIII. Jam quæri intelligas, ubinam *Sanctorum* laudata in *judicio* potestas & opera occurrant? Cuncta solùm enim *judicio Christi* absolvi, & præmiis affici legimus modestè professos quàm nil tale meruerint. At non citra consilium prima sunt ipsorum partes in sententiâ excipiendâ. Hac jam exceptâ, confestim appliciti *Præsidi* suo, id quod *impiis* usuvenit, unâ tractant, quid ille cuivis imputet intentetve, advertunt, probant & unius voce decreta assensu magno celebrant. Nec minuit vim *Judicii* tributam, loqui ipsos ore alieno, manu *Domini* confici cuncta. Par modus in humano foro militat: nec *Assessorum* est vindicare sibi partes quas *Præses* suo loco expedit. Sufficit ipsos reos agnoscere tam disparem à suo statum, & horrere ad conspectum, ad vocem *Domini* præmiatricem *Sanctorum*, utve sibi ultima supplicia tanto consensu intententur.

§. LIV. *Finis* ergò proximus *Judicii* S S. est *Sententia* in Angelos & Homines reos. Cujus tenor 1. observatu dignus est, quòd tam accuratè & *Personas* reorum, ac *laforum*, & *culpe* meritum, & *pæna* genus determinat: cujus *equitas* ipso *læsi* *Statu* declarato patet. 2. Eadem non videtur fore *arbitrarij*, pro eo

F

nempe

nempe ac delicta variant. Eminent sanè *Talio* & vindicta, de qua Paulus 2. *Thess.* 1, 5-8. tam clarè: *justum est apud Deum, vicissim reddere tuis qui affligunt vos afflictionem*: ac simiſis in Babylonem *Apoc.* 18, 6. Denunciatio, cui & alia maleficia retorquentur v. 7. Nec, si præmia *aureolis* crescunt, non damnatis dispar calamitas ingruerit, ut Tyro & Sidoni *tolerabiliorem* gradum supplicii prædici notum est.

§ LV. Ejus Decreti *Publicatio* ore, ut dictum, Domini futura est, acclamante toto confesso, per ea quæ *Apoc.* 12, 17. & v. 16. leguntur. *Dies Publicationis* eadem quæ concepti esto.

§ LVI. Sic *Executio* Angelis Bonis mandata non lentè procedet, ut *accelerari* optimè jura humana docent: ubi nullus locus *Appellationi, Supplicationi* talibusve contra justas vindicias relinquitur. Cogunt hi Damnatos in orbem, trudent in latè hiantem caminum ignis, undè stridor dentium & ululatus remugit; tanto certamine ut nil reliqui habeat S. Codex in exprimendâ specie miserandæ fortunæ. At *Malos Angelos* inter *executores*, ceu vulgò effigiantur, admitti, non licet asserere. In eosdem enim simul proceditur. Ac, ut percitos *ἄνθρωποι* solenni maximè grassatum ire censeas in correos; hoc tamen repugnat *Judicio* ipsi, & relationi de *Executorum* personis ac functione *Apoc.* 20. ubi *Cacodæmon* vincetus ab *Angelo* includitur abyſſo.

§ LVII. In *Damones malos* m. *seorsim* processum iri non legitur, sed jam ante damnatos *Math.* 25, 41. & unâ cum reis hominibus præcipites actos. Id verò *judicium* pari operâ *Sanctorum* peragendum dubitare non finit Paulus, cum materiam hanc *judicii Sanctorum* facit; & quicquid in *Die* isto susceptum fuit, eventu in utrosque communi steterit. Id maximè *Scriptura* dilucidat quod *Judicio Hominis in hominem* convenit. *Spirituum* velut accessoria ratio habetur: certè cum isti jam pridem inferno devoti, jam consortio infelici, *repetitam* declarationem, interventu *Sanctorum* pro tribunali, exhorreant. Et verò Eos 1. *agi* per *Angelos Sanctos* ad tribunal, pari in alterutrum terrore & lætitiâ, 2. *argui* originis non servata, defectio-
nis
à veri-

à veritate, homicidii & seductionis omnigenæ, præsertim maiorum Sanctis illatorum. 3. Cum nil responsi suppetat, *sententiam ferri*, eadem quæ ante in Damnatos, complexam. 4. Parique studio *executioni dari*, probabile de similibus æstimium nos admonet.

§. LIIIX. *Finis ultimus* 1. ex parte *Sanctorum* est Gloria Dei, quâ patescit quàm ipse potens operibus mirandis, bonus & fidelis promissis, justus & constans in procedendo sit. 2. Ex parte *Dei* est solatium fidelium sui cultorum, quos specie re-cta nil fallat, sed immensa vice remuneretur. Ne mali impunem sibi pravitatem inceptorum censeant, Angelive seductores gaudeant in sinu de corruptis Dei creaturis, quarum saluti tam oportuna & valida media, per ipsorum malignitatem, incassum adhibuerit.

CAPUT V.

DE USU DOCTRINÆ

EXPOSITÆ.

§. LIX.

Age nunc, *Anime*, spei tuæ certe, perfer & obdura. Hæc *Domini tui voluntas Ebr 10, 36.* est, ut Ducis dati exemplum referas *Rom. 8, 29.* & obsequium approbes: minimam dum *vicem redditurus* Creatori & Servatori, cui deberis totus. Nec verò negato officio exhibis formidatam mundi Satanæque vim; tertiæ jam partes nuspiam formantur. *Fatum* hoc agnosce, ut Naturam s. Deum sequaris. Justum agnoscis, dignumque te, si tui ortûs memineris. Tanti simul Imperatoris sacramento rogatum turpe sit tremiscere ad insultus quibus perpetuò excipiendis præfers Christianum nomen.

§. LX. Quamvis ipsa *exercitatio* quantumvis acris unice juvat consciûm statûs sui & usus salubris, quem sine adversario nunquam consequaris. Tyrocinia nesciunt otium: &

magistros rectè abhorremus, sub quibus discipulus segnescit
citra sudorem & periculum. En ut mercator Oceani terrorem,
latronum insultus, corporis affecti mala despiciatur donec lu-
crum processerit. Nec quantacunque bellorum asperitas mi-
litem strenuum absterret, spoliis invitantibus prolestatum.

§. LXI. Vis quam illatam quærimur, jam verborum lu-
dibrio evanido, jam bonorum fugacium raptu, jam membro-
rum mortalium laceratione exercita, *Animum* ne utiquam strin-
xit. Mature muniatur is saltem contra externa, & comparentur
incepta humana ruendi sponte in dolores, cupidini futuræ
voluptatis sapius & irritæ & indignissimæ; etiam ut injurias
ultum eas, hostium potiaris, & præudentem fortunam beneas.
In te tandem descende; tecum te, non extra, quære: *quis sis? ubi*
verseris? quæ quàmve non levia nec ludicra præmia petas? Certè
profiteris Dei servum, filium Christique socium & correptem.
In mundo viator, & inter medios hostes tendis. Specimen ve-
rò tui edere par est; idque de te expectatur; cui dein respon-
deat eminens illud arbitrium in æmulos, & decus imperii in-
comparabile ad tardii brevis & modici momentum; cuius mo-
lem tamen immensam factò tuo in te traxeras.

§. LXII. Cæterum licet hoc studium pollicearis, scito,
Patientiam probabilem tam esse à *Torpore* stupido ignaviæ de-
generis, quàm à *Ferocia* præcipitis audaciæ alienam, Pseud-Au-
gust. de *Patient.* c. 2, T. 4. Thom. 22. q. 136. *Virtus* mihi impera-
tur, ad omne genus molestiarum *obfirmata*, dum illæ nec me-
diis licitis averti possunt, & *Dei voluntate* ingruunt; eò nec
queri novi, nedum obsequium exuere. Hæc vera parens
Constantia, *Perseverantia* nutrix, filia *Fidei*, *Charitate* Dei foras, merito
audit. E quâ & Peritia cautè procedendi seorsus sustentandi per a-
spera, & *Spes* meliorum pullulat *Rom.* 5, 3, 4. Planè cum & charitas
infusa ad Servatorè incendat, *v.* 5, c. 8, 38. & nescia falli promiss-
sa Domini obversentur, & species antecessorum in idem thea-
trum proritet ad consortium tam invidendum *Ebr.* 12. Add.
Arnd. Christianism. L. 2. c. 47.

§. LXIII. Inanis jam, adeò incredibilis apparebit Homi-
ni

ni cordato expostulatio cum Fato de afflicta Innocentiâ & communione mali ob alienam culpam. Illi, velut Xantippæ suæ quiritanti: insonsus periturus esset? Socrates gentilis cordatè: sentemne perire mavis? Prior & potior autor Jobus, naturæ inquietæ vitium exprobrat & Dei nutum obvertat c. 29. Faci omnino necessitas nullæ est, nisi ordinata rationibus summâ æquitate temperatis; & in tales mirabili curâ amoris peniti. Lips. de Constant. l. 1. c. 14. ad 22. Ejus Autorem tam bonum providumve nil minus quàm hoc passurum res docet, ut homo, charissimum sibi animal, temerè & in exitium violetur Sap. 11. 24-27. Pilos capitis singulos in numero haberi demonstratur, quo nec cogitatione adscendimus; nedum animum tanto & conatu editum & servatum pretio. Ineatur saltem consilium cum Ratione Rectâ, ceu verò de rebus divinis & creatis iudicio sensuve, comparentur fines agentium singulorum proprii cum inceptis; præsertim Providi Numinis, quod tum maximè favet, cum agitari jactarive sinit nos. Ne minor ejus cura credatur ac Parentum laudatorum, cum prolem in medio hostium periclitatam, spe subsidii desiderati sponte destitunt, ut fortius agant & solidum decus victoriæ reportent. Frossard. Hist. Gall. l. 1. ad ann. 1346. p. m. 193. Sic triumvir Dei ruet, utcumq; desertus, ope Domini, in flammis Dan. 3. 16. Gratulabitur sibi fides Sanctorum, se ignominia, compedibus, flagris eruentantibus obnoxiam Christi sui gratiâ Act. 5. 40, 41. Instantur ipsi barbari inter Ethnicos & Saracenos ad pericula præliorum contemnendum, persuasi potiorem statum parari sanguine. Nedum ut Christi professio arrigat, incitet, obstinet, non cedere malis sed contra audentius ire. Christi, dicimus professionem, ejus qui è summo Majestatis divinæ throno huc demiserat sese, totve inauditæ patientiæ documentis per creaturas suas exercitus, dolores à calumniis, contemptu, contumeliâ, raptu, caede morteve de formi exquisitissimos, crucis fastigio indigno fixerat Ebr. 12. 3. Huc, Anime, convulsa malis quibus ingemis, suspice. Cum isto, tua ac modica perpeffus, vice gloriosâ feliciter regnabis.

✠(o)✠
QUÆSTIO EXPLETIVA.


*An Christus intercedat apud Deum pro Sanctis
 post finem mundi?*


Quæstio hæc à Patribus pridem tacta, deinceps judiciis
 diversis terminata, sed otiosa visa est: nisi quòd curiosi-
 tas pia *ᾠδὸν ψα* gaudet in statū promissum. Ac (I.) In-
 tercessio dicitur (a) *oralis* & explicita: non solum interpretati-
 va & applicativa, quæ præstetur repræsentatione meriti. (b) *au-*
thoritativa, non supplex: uti ex rei natura *Intercessio* nil submissi-
 onis importat, potius dignitatem & valorem ad concedentem.
 Unde Socinismus ipsam vel ante finem mundi oraliter factam
 negaturus, sibi parum consulit ignorantia termini. Potest &
 alia ratio subesse, cur compos rem perpetrandi per seipsum, ma-
 lit ordine modove dicto procedere. (II.) Terminus s. finis mo-
 tionis ad intercessionem istam, est conservatio in bono adepto.
 (III.) Ratio terminandi est dependentia perpetua boni ejusdem
 à principio eodem effectivo.


Jam communis & probabilior est pars *affirmans*. Cui post alios B. D.
 Calovius tomo 7. Locorum de Officio Christi *cap. 7. Q. 5. a. p. 539. ad 574.* rationes
 17. & auctoritates Nov-antiquas operiose præstruxit, contra B. Feurbornium &
 alios. Sanè (1) Loca Scripturæ unicè præstant, ut *Ebraor. c. 7. v. 17.* ubi Sacer-
 dotii æternitas, & *v. 25.* ubi *παντότης* s. perpetuitas vitæ respicit eum finem;
Sicc. 9. v. 24. comparitio coram Deo: *Rom. 8. v. 34.* Sessio ad dextram Dei & *1.*
Joh. 2. v. 1. *ᾠδὸν ἁλθισ* post ascensionem laudata. Quibus *Mediatio 1. Timoth.*
2. v. 15. & *Identitas* ejus incessans *Ebraor. 13. v. 8.* adminiculantur. Sed in *Apo-*
calyps. c. 8. v. 3. & *c. 5. v. 8.* figuræ minus stringunt. (2) Ratiocinia, ut: *nisi æter-*
nitatis Sacerdotii modo tali seruetur, ipsum non fore æternum; uti collatio cum
officio regio, faciliè vertuntur. Nam uti Vasquez impugnatus *ad P. 3. Q. 21. di-*
sp. 72. c. 3. & *4.* rem variat, *Syncretis locis cit.* iustituta ad sacerdotium meri ho-
 minis, it. efficacia Christiani hujus tam notabilis, & modi alii competentes, e. g.
 repræsentatio & applicatio jam laudata meriti, suggerunt, non necessariò exigi
 modum alium, qualis tamen ante finem mundi competenter & sufficienter fuit
 exhibitus. Eoque potentia s. officium Sacerdotale tunc non evanescit, cujus
 actus *salis* jam tùm præcesserunt cum victoria finis. Nec *continuatio* statūs in-
 tenta exigit *omnem influendi modum,* qui militavit in statu *efficiendo:* licet nec
 disconveniat. Sicut agnoscitur ibi regii officii exercitium *modo subdeminusum in*
1. Corinth. 15. v. 24. Fruamur saltem: & jam pia incertitudine
 acquiescamus.

F I N I S.

o-
e-
r-
s
y-
is
r-
s
l-
i-
t,
l-
ri
ô
n
i-
e-
e
l-
r
t,
a-







B.I.G.

Farbkarte #13

15

PATIENTIA
VICTRIX
IN JUDICIO SANCTORUM
IN FINE MUNDI

Ad I. ad Corinth. Cap. VI, v. 2, 3.

CONSTITUTO,

PRÆSIDE

PHILIPPO MÜLLEROD.

CONSIL. ECCLES. DUC. SAX, PRÆPOS. ET
PRÆLAT. AD B. MAR. MAGDEBURG.
SS. THEOL. P. P.

AD CHRISTIANAM COLLA-
TIONEM

IN ACADEMIA JENENSI
D. MARTII ANNI M DC LXXXIIX.

HOR. ANTEMERIDIANIS
DEO BENIGNE JUVANTE
DEDUCTA

JOH. IMMANUELE Sangguth/
GOTHANO.

JENÆ,
Typis GEORG. HEINR. MÜLLERI,

